Viro summo,

Equiti C. F. Graefe,

Berolinensium Machaoni

venerationis tenue pignus

Auctor

ANNALES

SCHOLAE CLINICAE MEDICAE

TICINENSIS

I.

ANNALES

SCHOLAE CLINICAE MEDICAE

TICINENSIS

AUCTORE

FRANCISCO Nob. ab HILDENBRAND

MED. DOCTORE; ARTIS OCULARIAE MAGISTRO; PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE AC THERAPIAE SPECIALIS PROFESSORE P. O.; DIRECTORE NOSOCOMII CIVICI ET BREPHOTROPHEI; ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM, ET SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE BONNENSIS SODALI, ETC.

PARS PRIMA.

PAPIAE

EX TYPOGRAPH. P. BIZZONI

M. DCCC. XXVI.

ANNALES

SCHOLAE CLINICAE MEDICAE

TICINENSIS

AUCTORE

FRANCISCO NOB. AB HILDENBRAND

MED. DOCTORE; ARTIS OCULARIAE MAGISTRO; PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE AC THERAPIAE SPECIALIS PROFESSORE P. O.; DIRECTORE NOSOCOMII CIVICI ET BREPHOTROPHEI; ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM, ET SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE BONNENSIS SODALI, ETC.

PARS PRIMA.

PAPIAE

EX TYPOGRAPH. P. BIZZONI

M. DCCC. XXVI.

Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt.

CICERO de officiis. I. 18.

VIRO MAXUMO

EXCELLENTISSIMO AC MAGNIFICO DOMINO

LIBERO BARONI

JOSEPHO ANDREAE DE STIFFT

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI

S. C. R. M. AD SUPREMA STATUS GUBERNACULA

CONSILIARIO INTIMO ACTUALI

AUGUSTISSIMI AUSTRIAE IMPERATORIS

ARCHIATRO

COMMENDATORI INSIGNIS ORDINIS REG. HUNG. DIVI STEPHANI
CRUCE ARGENTEA HONORIS CIVICI CONDECORATO
EQUITI BALTEATO I. ORDINIS S. MICHAELIS REGIS GALLORUM
ORDINIS AQUILAE RUBRAE REG. BORUSSIAE S. FERDINANDI REG. SICILIAE
PRO MERITIS REG. SAXONIAE ET ORDINIS CHRISTI REG. LUSIT.
EQUITI TORQUATO
INTER PRIMORES NOBILIUM REGNI HUNGARICI COMITATUS TIROLENSIS
ET STIRIAE ADLECTO

PER UNIVERSAS DITIONES AUSTRIACAS

PROTOMEDICO

STUDII MEDICI IN CEL. UNIVERSITATE VINDOBONENSI

DIRECTORI PERPETUO

ET

FACULTATIS MEDICAE PRAESIDI

SOCIETATIS MED. JOSEPH. VINDOB. LONDIN. PETROPOLIT. VENET.
PATAVIN. AGRONOM. MORAV. SILES. ETC. ETC.
SODALI

Vir Excellentissime

Si qua bonarum artium stùdia mandare literis, atque in commentarios redacta magnis Viris offerre convenit, illa certe mihi praecipua videntur, quae scientiarum incrementa, ac discentium eruditionem respiciunt, omnibusque eandem artem profitentibus aliquid emolumenti promittunt. Quapropter fatis, factis, et fastis Scholarum Clinicarum recte vulgatis, laudabilius institutum in rebus medicis vix ac ne vix quidem extitisse arbitror. Cuivis autem civi non solum ad communia commoda pro viribus contribuere, sed etiam rerum, quae publice aguntur, publicam rationem reddere strenue incumbit.

Huic jam satisfacturus muneri, cui graves curae, et otia multigenis laboribus absorpta hactenus obstabant, tenues quidem, ast fervidissimos conatus impendere studebo. Neque cogitanti mihi, quo pignore, quo cultu, qua veneratione Tibi, Excellentissime Vir, animi mei observantiam testarer, auspicatior obvenire potuisset occasio. Tibi, Eruditorum Phoenix, qui fervent amore scientias colis, studiique medici splendorem et famam per universas Imperii ditiones evigilato consilio promovisti et auxisti, promoves, et auges; — Tibi, Archiater perillustris, qui patriae jura ministras, qui Augusto solio adsidens publicam salutem tueris, pretiososque dies adorati Caesaris FRANCISCI —

O dulce nomen, populorum delicia! — solerti vindicas vigilantia, atque consummata peritia; — Tibi, Austriadum rarum decus et columen, quem publica rerum cura tenet; — Tibi, Medicorum Coryphaee, cujus tot tantaque de arte medica, de disciplinis, de patria sunt merita, ut disertissimi oratoris facundiam facile superent; — Tibi, inquam, hasce pagellas sacras esse cupio;

Tibi, — *cui surgent templa perennia*
Lauroque vernantes columnae.

Beneficiorum, quibus Tantus patrem meum (eheu! acerbo fato ante diem ereptum) cumulasti, memor, pluribusque obstrictus officiis, — Tua enim commendatione effecisti, ut Augustus Imperator

honorificentissimam committeret provinciam, — nonnisi insanus sperarem meritis digna, et acceptis paria unquam referre me posse. Eo tamen adnitendum mihi fore credidi, ut perpetuum justissimae gratitudinis, summaeque erga Te reverentiae meae monimentum palam statuerem. Inest enim aliquid deliciarum, quod sensus ipse verbis exprimere nequit, publico quodam sacramento gratum profiteri animum. Roboratus fiducia Tuae magnanimitatis, fretusque favore et benevolentia illa singulari, qua me jam ab ephebis studiorum prosequi dignatus es, plurimum confido, Te hunc tantilli ingenii fetum, hocce, qualecunque sit, munusculum non esse despecturum.

Accipe itaque fronte, qua olim me excipere solebas, placida et benigna, AUGUSTI FRANCISCI Andromachus, hoc non tam doctrinae meae, quam indelebilis observantiae pignus, — candidissimum ἀντιπελαργήσοντος symbolum. Sinas, quaeso, ut, qui meritis caret labor, TUI nominis clypeo munitus, exoptato potiatur ornamento. Boni interea consules, precor, exilem opellam, cum sortis egestas grandiora offerre vetet. Et si naevi quidam, quae mortalium conditio est, adhaeserint, benigne excuses. Mola salsa litant, qui thura non habent. Est tamen et ille suffitus Numini carus, qui densa cum nube volutus in altum, iter pandit precibus sincero ex pectore fusis. Haec mea levi-

densia dona, si Tibi placebunt, nihil votis meis gratius esse poterit. Merces mihi erit amplissima et dulcissima, si Tu conatus meos, in promotionem Hippocraticae artis, discipulorumque eruditionem ardenter impensos, omni utilitate non carere existimaveris, animumque Tuum erga me semper benevolum, erga Ticinenses Musas obsequiosum conservare non dedignaberis.

Faxit Deus Ter Optimus Maximus! ut in commoda patriae, in bonorum solatium, in muneris publici ornamentum diu sospes, et incolumis vivas; — ut vivas onustus omnibus illis gloriae spoliis, quae virtuti debentur! Nobili prosapiae Tuae rem et omne decus! — Ego vero non

desinam, me totum publicae consecrare utilitati, TUUMQUE promereri patrocinium omnibus nervis nitar. TUI memoriam, Ambrosia alende Fautor, attica fide ad feralem usque tumulum me conservaturum sancte promitto et spondeo.

Excellentissimi Nominis Tui

Observantissimus Auctor.

SUMMARIUM.

ISAGOGE.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

DE PRIMORDIIS ATQUE INCREMENTIS INSTITUTIONIS CLINICAE

ISAGOGE.

Medicinae primordia eo consilio investiganti, ut videatur, quo modo, et a quibus hominibus inventa et sensim exculta eo tandem pervenit, ut in artis methodicae formam redigeretur, non minora se se opponunt obstacula, quam omni fere antiquarum rerum indagatori. Quae enim ad incunabula opiferae artis ducit via, nunc fabularum et superstitionum quasi nebulis densaque caligine premitur ita, ut vel acerrima ingenii acies, veritatis luce erepta, in tenebris palpitare cogatur; nunc deperditis priscorum libris et monumentis, tanto desidit hiatu, ut magnae ambages prius sint conficiendae, antequam in rectum justumque redire liceat callem; nunc variis, iisque inter se invicem repugnantibus auctorum testimoniis in tam diversos diducitur maeandros, ut de re adeo fluxa et incerta dubii ancipitesque haereamus, quaenam sine aberrandi discrimine esset ingredienda.

Ab illis inde canae antiquitatis temporibus, quibus homines in vitam socialem coaluerunt, artem medicam primum coepisse ortum, ratio nobis suadet; quicunque enim primus valetudine adfectus fuit, sui conservandi studio quaesivit medelam, eamque feliciter inventam

aliis quoque consimili modo conflictatis communicavit. Quum autem medici proprii nominis nondum essent constituti, solebant aegrotos ante januas domorum, vel in publicis viis exponere, ut praetereuntes consulerent, similine laborassent morbo, et quibus auxiliis pristinam recuperassent salutem. Vetustissimus hicce populorum usus, quem inprimis inter Babylonienses, Assyrios, et Israelitas viguisse HERODOTUS et STRABO testantur, plurium experientiis collatis, prima omnino dedit artis medicae rudimenta. Immo apud Assyrios magistratus creatos fuisse narrant, quibus id adsignabatur munus, ut aegrotis in publico foro expositis adstarent, ac praetereuntes circa remedia adhibenda consulerent. Medicinae itaque origo est ab experientia; experientiae occasio vero a necessitate.

Ejusmodi experimenta pedetentim ita augebantur, ut, cum libris non consignarentur, sed ore traderentur, vix unius hominis memoria potuissent retineri, et conservari. Quae tamen memoriae felicitas, si cui naturae beneficio contigerat, is fortuna consiliis annuente suis, ab iis, quibus sanitatem redonabat, colebatur, a civibus plausu et admiratione condecorabatur, atque posteris cultu honorabatur divino. Hinc ISIDI atque SERAPIDI apud Aegyptios, APOLLINI et AESCULAPIO apud Graecos, hinc aliis apud alias gentes Deorum medicorum honores decernebantur, arae incensae, thura libata, templa extructa, ad quae, quotquot cum morbis conflictabantur, sanitatis recuperandae causa undique confluebant.

Solebant autem Sacerdotes medicinam exercere, Levitae et Prophetae inter Israelitas, Brachmanni inter Indos, Druidae inter Celtas, Flamines tandem ac Idololatrae in Aegypto, quos prae aliis rei medicae peritissimos fuisse, cognoscere erit ex HELIODORO, et DIOGENE LAERTIO. Religiosum huncce medicinae cultum brevi imitati sunt Graeci, AESCULAPIUM ob miras cura-

tiones insignem Numinis instar colentes, ejusque in honorem plura extruentes fana, uti ATHENIENSE, PERGAMENUM, EPIDAURIUM, COUM, atque TRICCAEUM, *incubationi aegrorum dicata.* Ita effectum est, ut religio medicinae immisceretur, istaque in potestatem Sacerdotum transiret, quos in duas dirimebant classes. Sacerdotes superioris ordinis, PROPHETAE, reconditiorem tenebant artis salutiferae partem, quae magicis formulis, insomniis divinatoriis, daemonumque auxilio potius, quam medicamentis adjuta vim suam exerere videbatur. Sacerdotes contra inferioris ordinis, qui PASTOPHORI, seu pallio distincti vocitabantur, ea prorsus sequi debebant praecepta, quae in sex ultimis libris scriptorum Hermaeorum erant tradita. Ipsis e. g. interdictum erat, ne febribus acutis ante quartum diem quidquam remedii adhiberent (DIODORUS SICULUS).

In templis incubaturi peragebant varia, antequam id facere adgrederentur, quibus Numina propitia reddi, et ad mittenda somnia laeta incitari sibi persuadebant. Abstinebant v. g. per aliquot dies a cibo et potu; sacra etiam faciebant, arietibus vel ovibus immolatis, quippe quorum pellibus substratis incubabant, et vel hac de re sibi Deos non defuturos esse confidebant. Incubantibus vero super pelles stratas varia se se offerebant somnia, — quod saltem sibi persuasum habuere, — ut viderent vel res ipsas sibi eventuras, vel audirent ab adparente per somnium Numine medicamina, profligando morbo idonea. Accedebat aegris sacerdos, Aesculapii chlamyde indutus, comitante filiarum caterva, necessaria administraturus praesidia. Curatione feliciter peracta *tabulas votivas* parietibus, vel columnis templorum adpendebant, quibus vel inscribebant morbi historiam, phaenomena et curationis modum, vel pictam exprimebant membri antea laborantis figuram, in gratae mentis tesseram, more hodieque in permultis

obvio Sanctuariis, miraculorum fide et peregrinatorum salutem quaerentium concursu celebribus. — Ne sacra illa arcana cuivis ex vulgo in propatulo essent, Sacerdotes Aegyptii ea aut hieroglyphicis figuris consignabant, aut sacrario conscripta deponebant. Ipsum vero Aesculapium (A. 1263 ante Chr.) discipulos suos, e propria plerumque electos familia, secum ad aegrotantium lectulos conduxisse, inque medendi arte informasse, fertur, quam ob rem a Prudentio et Hygino *Clinicus* appellari solebat. — En prima praxeos clinicae heroicis temporibus vestigia.

Ab Asclepiadeis, Aesculapii posteris, quos inter ars medica haereditatis quasi jure ab ipso gentis principe usque ad Hippocratem Coum transivit, plures erectae fuerunt Scholae medicae. Qualis autem fuerit docendi methodus, ignoratur. Nituit prae caeteris Schola Cnidia et Coa. Ex utraque celebres prodierunt medici. Euryphon, sententiarum Cnidiarum auctor, et Ctesias e priori; ex altera Heraclides, ejusque filius Hippocrates, quem medicinae clinicae fundatorem dicere possumus; ab ejus enim epocha medici, ad lectos aegrorum artem exercentes, *Clinici* passim audiebant, ut distinguerentur ab Empiricis, seu Circulatoribus, qui Agyrtarum more in foris remedia distribuerant egentibus.

Hippocrates II., e nobilissima Asclepiadum stirpe in insula Coo natus (Olymp. LXXX. 1. Anno 460. ante Chr. n.), famam inter omnes ejus aevi medicos maximam consecutus est. Multa quidem tabulis votivis in templo Cnidio et Coo suspensis, suoque patri et praeceptori debuit; longe majorem vero cognitionum thesaurum propria experientia ac indefessa observatione conlegit. Numerosos suos discipulos, testante Galeno, sedulo ad aegrorum lectos conduxit, aureisque imbuit praeceptis, saeculorum admirationem merito provocantibus. Praecipuam diligentiam dicavit veridicis morborum

descriptionibus, epidemiarumque observationibus; crisium doctrinam explanavit primus; signa aegritudinum diagnostica et canones prognosticos mira patientia composuit; diversissimorum remediorum virtutes expertus est, a superstitione tamen et fraude purissimum se servavit; diaeteticam demum ursit a priscis neglectam, nihilque, quod hancce curae medicae spartam respicit, intentatum aut inobservatum reliquit, uti probe jam perspexit et solide enucleavit Ballonius, verus ille ac ingenuus ipsius Hippocratis genius. — In Graecia itaque, — disciplinarum omnium altrice et magistra, humanitatisque parente, ex qua primum cum literis in universas terrarum orbis plagas vita civilis decentius constituta profluxit, — clinicae quoque institutionis cunabula invenies.

Ast proh dolor! salutarem optimi senis viam ejus jam filii, Thessalus et Draco, dereliquerunt, philosophorum dogmatibus pellecti, atque, quod adhuc pejus erat, mysticis propositionibus et poeticis flosculis fanatici Platonis, nec non peripatheticae et stoicae philosophiae, — quarum prior Aristotelem, altera Zenonem Eleatem pro fundatore habuit, — principiis obcaecati. Enata tunc est *Schola Dogmatica*, sive secta *Medicorum Hippocraticorum*, quorum libri Hippocrati Coo perperam supponuntur. Quamvis historiae naturalis et anatomiae progressus, curante prae caeteris Aristotele, haud indifferens medicis disciplinis incrementum adtulerint; intemeratae tamen observationis studium notabiliter neglectum fuit, usque dum empirica inter Alexandrinos schola effloruit, quam quidem funestam artis Machaonicae sortem ipse Plato jam amare deploraverat.

Collegium illud medicorum, quod circa Olympiadem LX. (Anno 540 a. Chr.) Athenis fuisse videtur, ut saltem e quodam loco, qui apud Aristotelem extat,

adparet, longe aliam habuit destinationem, quam discipulos erudiendi; tenebantur quippe PERIODEUTAE (societatis Pythagoricae sodales, qui Graeciam peragrabant), et PAEDOTRIBAE (artis gymnasticae magistri, qui adolescentum salutis tuendae curam sustinebant), ut redderent rationem methodi, quam in singulis morbis curandis sequuti essent. Ab illo jam tempore corruere coepit religiosus artis opiferae cultus in templis Graecorum, medicinae *exotericae*, sive *populari* locum cedens.

Quum bellis ab Alexandri Magni morte civilibus exortis (A. 323 a. Chr.), in communi provinciarum vastatione et vexatione, literarum studia vehementer adflicta essent, metumque incuterent, ne omnis eorum dignitas extingueretur, tutum et augustum praesidium ac receptaculum iis divina providentia in Ptolemaeorum Regia praeparavit. Elanguentes in Hellade scientiae nunc ad Aegyptum transferuntur, vetustissimam illam sapientiae et artium sedem, unde Samothracius Orpheus, ac multo post Pythagoras mysteria hausisse dicti sunt, et ubi Deorum incunabula, vel potius prima eorum simulacra fuisse perhibent, monstrosa quidem, verum tamen arcanae significationis plena.

Liberalitate, ac summo eruditionis omnigenae studio Ptolemaeorum factum est, ut Alexandriam, aëre saluberrimo gaudentem et commercio per totum orbem extenso florentem, confluerent viri docti, et qui doctrinam adfectarent. PTOLEMAEUS LAGI, primus regni aegyptiaci conditor, literarum fautor clarissimus, (Anno 320 a. Chr. n.) in Alexandriae urbe Collegium et Bibliothecam fundavit, quae a PTOLEMAEO PHILADELPHO (A. 285) et EVERGETE I. (An. 246) novis praesidiis munifice aucta fuere.

MUSAEUM ALEXANDRINUM, unicum eo tempore per orbem, quantum quidem constat, sui generis institutum

literarium, pars regii Palatii erat in Bruchio sita, in qua urbis parte habitabant et alebantur docti in Collegium adscripti, pecuniis publice adsignatis, ut studiis operam darent, discipulosque erudirent. Musarum et Apollinis ludi, seu disputationes literariae in Bruchio frequenter habitae, quibus, qui vicerit, Olympicorum victorum more, coronabatur, ad excolenda ingenia plurimum contulere, aemulatione concitata. — Quod tamen in rebus humanis fieri solet, cum summis bonis ut mala indivulso contubernio conjuncta sint, hoc idem in his tantis bonis evenisse videmus. Prouti Principes et Aulici de honorum fumo, ita docti viri de opinionum umbra inter se digladiantur; — invidia, odio, inimicitiis et contumeliis gliscentibus optima quaeque evertuntur. Sic nulli doctorum virorum coetus contentionum libidine et conviciandi licentia carent, testante omnis aevi tristi experientia. De Musaeo Alexandrino non mitiora accepimus.

Immensus, qui in Bruchio extitit, librorum thesaurus, Ptolemaeorum munificentia conditus et ampliatus, oppugnata a Julio Caesare urbe (A. 47 a Chr. n.), conflagravit, non sine gravissimo scientiarum detrimento, superstite tantum Musaeo, quod tandem civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapsis, ac Bruchii moenibus inter Alexandrinorum seditiones Aureliani jussu dirutis, sublatum fuisse videtur.

Interea Serapeum, fanum quippe Jovi Serapidi sacrum, tanto majorem accepit celebritatem; ejus enim bibliothecam, quam Ptolemaeus Philadelphus fundavit, pretiosis spoliis Attalicae supellectilis ab Antonio Cleopatrae, ultimae Aegyptiorum Reginae, donatis, locupletatam fuisse constat. Everso demum Serapeo templo ex constitutione Theodosiana per fanaticorum Christianorum turmam (A. 391 p. Chr.), atque diruta per Chalifam Omarum urbe (A. 640), ultimum corruit

Palladii, cum adversa sorte toties conluctantis, residuum. Chalifa MOTAWAKEL Anno 845 quidem denuo instaurari curavit literariam penum, quae vero brevi posthac a Turcis fuit destructa.

Quamvis grammatice, philologia, poësis et historia naturalis principes fuerunt scientiae a doctis Alexandrinis promotae; nihilosecius et medicina suos habuit, eosque insignes cultores. — AMMIANUS MARCELLINUS tantam hujus scholae famam fuisse praetendit, ut pro omni experimento suffecisset medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se dixisset institutum. Albo lapillo inprimis notari merentur HEROPHILUS et ERASISTRATUS, Ptolemaei Primi coaetanei, ob insignem anatomiae promotionem non minus, quam ob eximiorum discipulorum numerum illustres. Splendent in historiae fastis nomina DIOCLIS, PRAXAGORAE, CHRYSIPPI, MNESITHEI, atque immortalis CLAUDII GALENI, qui Alexandriae vixerat, antequam Romam petiisset, medicinae addiscendae causa. Neque praetereundi sunt EUDEMUS, DEMETRIUS APAMEUS, MANTIAS, ZENO, APOLLONIUS KITTIUS, et CALIMACHUS, qui praeceptoris in honorem etiam HEROPHILEI nominabantur.

Medicina dogmatica in Scholam Alexandrinam recepta, ac humoralis pathologiae principiis ab Erasistrato aucta, ibidem mox in hypotheses inanes et doctrinam mere verbalem degeneravit. Medicorum mens dialecticae illecebris abrepta, subtilitatibus terminologicis ac sophisticis nugis potius, quam naturae contemplationi intenta, Pathologiam progenuit, cujus nulla ad aegrorum lectos esse potuit utilitas. Quapropter medici practici hancce speculationis viam spernendo, summumque experientiae valorem cordi habendo, ad empiriam denuo sunt reversi, agmen ducentibus PHILINO Coo et SERAPIONE, quos, celebres alioquin Athenaei Alexandrini antistites, ceu fundatores *Scholae empiricae*,

inter annum 280 et 250 ante Christ. natum, agnoscere oportet. Apollonius, Glaucus, et Heraclides Tarentinus principes fuere hujus scholae defensores; Theudas Laodiceus vero ultimus fuisse videtur sectator, quem temporibus Trajani, vel Hadriani (117 p. Chr.) vixisse ferunt. Secundum eorum sententiam omnis medicina bonae frugis *observationi* propriae et aliorum, *analogiae*, nec non *epilogismo*, (serius addito), sive methodo ex observatis ad ea concludendi, quae observationi non patent, innixa esse debet. En famigeratus Empiricorum tripos.

Alexandrinis itaque medicis restauratio medicinae experimentalis, a dogmatibus et speculationibus depuratae, debetur. Arceri tamen non potuit superstitio, vetus illa pestis, quae medicinam in antiquis saeculis continuo contaminaverat; neque invincibilis jatrosophorum ejus aevi ad sophisticas argutias propensio, ac innatus quibusvis fere hominibus naturae phaenomena explicandi pruritus conticuere. Inde posteriores ortum duxerunt scholae medicae, *methodica* scilicet, *pneumatica*, et *ecclectica*, sive *episynthetica*, quae dogmata cum empiria copulavit. Prima ab Asclepiade Bithyno (A. 100 a. Chr.), altera ab Athenaeo Attaliensi (A. 68 p. Chr.), tertia demum ab Agathino Spartano (A. 81 p. Chr.) fundata. Alexandrinis pariter medicis in acceptis habenda est, monente Celso, momentosa medicinae in tres partes divisio, ut una esset, quae victu (διαιτητικὴ), altera, quae medicamentis (φαρμακευτικὴ), tertia, quae manu mederetur (χειρουργικὴ).

Qualis autem fuerit in Musaeo Alexandrino tyrones medicos erudiendi methodus, e superstitibus historiae monumentis eruere non licet. Concludere tamen fas est, studium clinicum posterioris aevi scholis multo inferius fuisse, cum, deficiente Nosocomiorum praesidio, nonnisi ad privatos aegrorum lectos institui potuisset.

Quod adtinet scholam medicam ab adseclis Herophili, aevo Ptolemaei Evergetis II. (A. 146 a. Chr.), Alexandriam deserere coactis, penes Laodiceam in Phrygia Anno 132 ante Christum fundatam, cui Zeuxis et Alexander Philalethes praefuerunt, — illamque ab Erasistrati discipulis, et speciatim ab Ikesio pari fere tempore Smyrnae conditam, obscura tantum habentur vestigia.

Postquam Roma jam satis gloriae armis quaesitum esse prospiceret, literis asylum aperuit, quod contigit secundo bello punico (A. 218-201 ante Chr.), cum

Musa pennato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Primum equidem aluit tantum Rhetores et Jurisconsultos, sed postmodum etiam medicos ex Aegypto et Hellada celeberrimam urbem adeuntes adlexit. Quae prius ab illa inde Urbis conditae epocha (754 a. Chr.) exercitabatur medicina, ad mysticum artis cultum in templis, et fabulosas traditiones circumscribitur. Tantum vero apud Romanos idololatriae amorem fuisse constat, ut Aegyptiacis et Graecis Deorum simulacris haud contenti, complura nova creaverint numina, uti Deam Febrim, Fessoniam, Carmentam, Ossipagam, Prosam, Libitinam, Carnam, Mephitidem, Meditrinam, quibus sacrae aedes variis in locis extructae fuere.

Archagathus, Peloponnesiacus, primus illic medicinam aperuit Anno 219 a. Chr., taberna publico aere ipsi concessa. Quanti autem ille fuerit, vel inde colligitur, quod brevi carnificis titulum sibi promeruit. Neque melioris notae fuere ejus successores, qui potius lucrum et fraudem, quam aegrorum salutem et studia cordi habuerunt. Universim tempore Reipublicae liberae medicina mirum in modum despicata fuit atque contemta, ita ut, Plinio jam amare querente, a peregrinis tantum fortunam venantibus, libertis,

servisque humillimis exercitaretur, a civibus omnino neglecta.

Quod molliores artes antiquitus Romae negligerentur, bellicosa faciebat gentis natura et alienarum rerum contemtio; literae enim, quae felicitatem publicam ornant et firmant, pacis comites sunt, in commotis et turbidis rebus conticescunt, atque sordescunt. Inde magnum inter Graecos, inprimis Athenienses et Romanos discrimen oriri necessario debuit, ut in illis elegantius, in his firmius esset ingenium; — illi volucri, et cupida cogitatione ad omnem pulchritudinem raperentur, hi strenue corpus laboribus exercendo, militiam et virtutem colerent. Ubi itaque Graeci lacunas reliquerunt, a Romanis resarcinatio earum haud expectanda erat. Quapropter jam Polybius, Dionysius Halicarnasseus, et Strabo Romanorum in augendo imperio sapientiam laudibus extollunt, de eorum tamen literis silent. Re quidem vera poësis, eloquentia et historia sexto primum post urbem conditam saeculo florere coeperunt, summum splendoris culmen Augusti Caesaris aevo adeptae, quod ideo aureum vocatur.

Medicina, quae hucusque veluti situ obducta squalluit, eandem cum reliquis bonis artibus sortem subivit, cum nonnisi sub dominatu Imperatorum, etsi non divinam, quali apud Grajos potita est, humanam tamen dignitatem recuperavit. Jam Julius Caesar, pro suo in artes liberales amore, omnes Romae professos medicos, Athenis venientes, quo lubentius et ipsi Urbem incolerent, civitate donavit. Augustus medicum suum, Antonium Musam, ob periculosum morbum, quem potu balneisque frigidis feliciter dissipavit, insignibus condecoravit honoribus. Paulo serius *Archiatros* institutos fuisse constat, quo quidem titulo Andromachus, Neronis medicus (A. 54 p. Chr.), primus insignitus occurrit. — Archiatrorum nonnulli, a temporibus

Constantini I. (A. 307) *palatini* vocati, Principum valetudinem tutabantur; alii contra, *Archiatri populares*, quorum jam ante Antoninum Pium (A. 138) inveniuntur exempla, publicae saluti praefuerunt, simulque juvenes in re medica erudiendi munere sunt perfuncti, unde quodvis Archiatrorum Collegium veluti species Seminarii medici considerari potuit.

Non defuerunt quidem illustres viri, qui medicam artem Romae variis epochis profitebantur, eamque pretiosis observationibus, experimentis, et dogmatibus augebant. Inter alios meminisse juvat Asclepiadem Bithynum, Themisonem, Celsum, Soranum, Galenum, Archigenem, Serenum Sammonicum, Alexandrum Trallianum, Scribonium Largum, et Caelium Aurelianum. Ast nullam medicorum aut philosophorum scholam a Romanis erectam fuisse comperimus, nisi prius memorata Archiatrorum Collegia, vel Gymnasia publica excipere vellemus, quae ultima, Graecorum ad imitationem condita, potius firmandae valetudini et corpori durando, quam promovendis scientiae medicae commodis inserviisse, ex ipsa eorumdem institutione facile colligitur; etenim praeter ludos gymnasticos et balnea nil invenies, quod sanitarium redoleret scopum. — Suspicandum itaque, medicos romanos non alibi, quam ad lectos aegrorum privatorum artem clinicam condidicisse, quod insuper noto Martialis epigrammate confirmatur:

Languebam; sed tu comitatus protinus ad me
Venisti, centum Symmache discipulis.
Centum me tetigerunt manus aquilone gelatae;
Non habui febrem, Symmache! nunc habeo.

Ad longe foecundiores modo accedimus medicarum disciplinarum fontes, in Oriente scaturientes, quos jure ceu exquisitiora praxeos, et institutionis clinicae rudimenta considerare licet, a Nestorianis (heterodoxa

Christianorum secta) fundata, atque ab Arabum Chalifis laudabili cum sollicitudine promota. Europa saeculo tertio et quarto aerae nostrae usque ad Caroli Magni tempora atram exhibuit ignorantiae et barbariei noctem. Generis humani ruina e luxurie et mollitie incredibili, e tyrannide crudelissima Imperatorum Romanorum profecta; turpissima pseudosophia totum orbem infestans; depopulantes invasiones gentium ferarum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Langobardorum, Saracenorum, qui feliciores terras luctu, nece, et cujusvis generis calamitatibus replevere, — praecipites quoque secum traxerunt scientias omnes. Accessit demum insanus ille ac stupidus furor indignorum hominum, qui Christi nomen usurpabant, in quasvis paganismi reliquias; bibliothecarum incuria et librorum dilapidatio; tandem atrocissimae persecutiones eorum, qui ethnicorum cognitiones et eruditionem servare studerent.

In clara et nobili urbe Persiae, Gandisapora, quae etiam Dschondisabur scribitur (cum Nisapora non confundenda), a Sapore I., Persarum rege, inter annum 257 et 260 p. Chr. condita, Nosocomium extitit atque Schola medica admodum celebris, cujus memoriam in artis clinicae fastis grato servamus animo. Misit Aurelianus Caesar, narrante Abulpharagio, postquam cum Sapore pacem iniverit, eique suam filiam nuptum dederit, medicos graecos quosdam in novam Persidis urbem, ut filiae inservirent; atque illi medicinam Hippocraticam in Oriente docuerunt. Amru vero, alius scriptor orientalis, Saporem II., qui tempore longe posteriori vixit, ab anno videlicet 309 ad 380, adeoque aevo inter Diocletianum ac Theodosium Magnum, urbis conditorem fuisse ostendit, quam sententiam eruditissimus Sprengel verosimiliorem esse arbitratur. Id tamen extra dubitationis aleam positum est, Scholam Gandisaporensem postrema parte saeculi VI. primum

florere incepisse, medicis non minus, quam ecclesiasticis disciplinis dicatam, Nestorianorum maxime cura insigniter exornatam.

Medicae illius Scholae caput idem fuisse videtur praefectus Nosocomio, cui caeteri, qui in medicina facienda, docenda, discendave occupabantur, subordinati et subjecti erant. Extat apud ASSEMANUM canon ex concilio anni 1318, quo illis, qui medicinae operam dare incipiunt, praescriptum est, quibus antea imbuti exercitatique esse debeant, quam ad Nosocomium admittantur. Notandum vero, quod illud concilium in hac constitutione secutum sit longe antiquiorem, quam Patriarcha SABARESIUS circa Annum 834 condiderat.

Praecipuam inter hujus scholae alumnos famam sibi promeruerunt HHARETH EBN KALDATH, Mohammedis coaetaneus (A. 622), a cujus praeceptis discedere Arabes diu sibi religioni duxerunt; — GEORGIUS BACHTISCHWAH (A. 772), ab Almansore Califa regiis muneribus condecoratus; atque SABUR EBN SAHEL (A. 868), Nosocomii Gandisaporensis praefectus, religione Christianus, qui libros composuit celebres, e quibus est liber medicamentorum compositorum, quem in Nosocomiis et Pharmacopoliis sequebantur, viginti duobus capitibus constantem. En primum Dispensatorii, sive Codicis medicinalis vestigium.

Institutionem *Nosocomiorum*, promotis indies magis per fidem Christianam hospitalitatis et philanthropiae principiis, etiam ad praxeos clinicae incrementa plurimum contribuere debuisse, nemo inficias ibit. Xenodochia, Ptochotrophea, et Nosocomia unice christianae pietatis fructus fuisse, omni laude dignissimos, constat; namque rem perfunctorie disquirenti saltem non obtingunt hujus generis instituta vel apud Graecos, vel Romanos Christo nondum addictos.

Nosocomium anno 460 Edessae ab Episcopo Nonno conditum, passim pro primo aegrotantium asylo habebatur. Antiqua vero pervolvendo historiae monumenta, fortuito casu inveni, jam longe prius ejusmodi philanthropicas aedes extitisse. Divus Chrysostomus, eximius ille virtutis christianae promotor, A. 397 ab Imperatore Arcadio Byzantium accitus, ut Episcopatus sedem occuparet, propriis sumtibus plura ibidem erexit et aluit valetudinaria. Pari ferme tempore etiam in Aegypto, et speciatim in montosa Nitria, ubi innumeri Anachoretae, e hominum societate divulsi, inter asceticas contemplationes et fanaticos religionis christianae cultus solitariam degebant vitam, Xenodochia extructa fuisse, e SS. Patrum historiis compertum habemus. Eorum nonnulla peregrinantibus optatum hospitium, alia infirmis et religioso furore insanientibus monachis beneficum asylum praebuerunt. Proprios ibi aegrorum curae praefuisse medicos, e Palladii relatione constat. — Sub finem saeculi IV. matronam romanam, nomine Fabiolam, Nosocomium Romae instituisse, in quo aegrotantes colligeret de plateis, et consumpta languore atque inedia miserorum membra foveret, ita ut multi sani languentibus inviderent, testis est Divus Hieronymus (Epistola ad Oceanum de morte Fabiolae.) Ante Justinianum non longo tempore, ergo ante annum 527, aliud extitisse inter sacella Irenes et Sophiae a S. Samsone fundatum, ipsiusque Imperatoris liberalitate auctum et amplificatum, Procopius refert. Saeculo VII. Hierosolymi jam plura Nosodochia peregrinantium commodis destinabantur. Inde vix ullo subjacet dubio, etiam nosocomium Gandisaporense Nestorianis, qui in hac urbe consederant, suam debuisse originem; sequebantur enim exempla aliorum Christianorum in felicioribus et commercii flore ornatis urbibus degentium, quarum jam saeculo VI.

paucae videntur fuisse, quae hujusmodi ornamento humano prorsus carerent. — Singulari autem splendore nituere illa, quae saeculo XI. ab Imperatore ALEXIO, et saeculo XII. ab ISACIO in Byzantina Metropoli fuere erecta, ut de quamplurimis aliis taceam pietatis monumentis, quibus expeditiones ultramarinae adversus hostes religionis Christianae opportunam praebuerunt occasionem.

Quamvis prisca illa aetate non ad medicae doctrinae utilitatem, sed ad christianae pietatis exercitium instituerentur nosocomia; progressu tamen temporis, utraque re consociata, religioni, humanitati, et medicinae sacra extiterunt, ita quidem ut hodierno aevo palmaria sint medicorum seminaria. Hoc tamen nosocomiorum in perdiscenda arte medica emolumentum neque antiquis omnino ignotum fuisse, praeter Gandisaporam, Edessae quoque corroborare juvat exemplum, quae urbs Mesopotamiae, teste PROCOPIO, unacum Nosocomio junctam habuit scholam medicam, eximiorum magistrorum, ac praesertim STEPHANI EDESSENI gratia suo tempore illustrem. Ast brevi corruit hocce ephebeum, Nestorianis tyrannide orthodoxa Imperatoris Theodosii II. et Zenonis Isaurii e byzantino regno (A. 489) expulsis.

Prima politioris eruditionis semina ab eo demum tempore inter Arabes spargi coeperunt, radicesque egerunt, quo Merwano II., qui Ommiiahdarum ultimus regnavit, gens HASCHEMIDARUM, sive ABBASSIDARUM successit (A. 749). Arabes, — populus bellicosus, qui furore quodam religioso cultum a Mohammede inventum toti orbi obtrudere satagebat, qui inscitiam et servile obsequium erga praecepta prophetae omnibus huic cultui addictis injungebat, — scientiis Graecorum et Romanorum nunquam imbuti essent, ni providentiae divinae beneficio Nestoriani ad Euphratem et Tigrim scholas

instituissent, quibus praeter dialecticam et rhetoricam etiam ars medica doceretur, dignitates academicae distribuerentur, et veterum Graecorum libri in Syriacum, et Arabicum idioma verterentur. Fuerunt itaque potissimum Christiani per Orientem dispersi, quorum opera factum est, ut literis in Principum saracenicorum aulas aditus aperiretur. Isti jam viri docti, maximam partem e Graecorum disciplina profecti, cum praecipue arte medica, quam studiose exercebant, Principibus se commendarent, paulatim apud eos et sibi, et doctrinis, quas profitebantur, auctoritatem et famam conciliarunt. Quamvis enim Arabes medicis christianis diu diffiderent, gravioribus tamen morbis impliciti ad eorum artem et doctrinam confugere sunt coacti.

Id maxime ab illo tempore accidit, quo familia medicorum Nestorianorum, quae sub communi Bachtischwah, Bochtjesu, seu Servorum Christi nomine innotuit, singularem famam et Califarum fiduciam est nacta. Eorum primus, Georgius, Anno 772 ab urbe Gandisapora Bagdadum accersitus, Califam Almansorem, post irrita Arabum medicorum tentamina, a pervicaci morbo feliciter liberavit. Huic Principi, strenuo literarum fautori, qui protinus ut urbem pacis Bagdadum condidisset, pacis etiam artes populo suo amabiles reddere conatus est, *Academia Bagdadensis*, circa A. 762 erecta, suam debuit originem.

Erat ibi medicorum Collegium, per totum Orientem celeberrimum, cujus Antistites scrupuloso prius examini subjicere debuerant discipulos, artem medicam exercitare cupientes, ante quam eis honores academicos tribuerent, quorum prima vestigia ad hocce Nestorianorum aevum referuntur. Tanta ab omnibus mundi plagis ad novum Musarum delubrum adfluxit docentium et discentium copia, ut quondam ultra 6000

literatos Bagdado degentes numeraverint. Munificentia Abbassidarum, et Almoravidarum Califarum, qui gloriae sibi duxerunt, bonas adjuvare artes, extructa fuere Nosocomia et publica Pharmacopolia, ut medicinae studium tanto luculentius promoveretur. Saeculo X. hanc Academiam, cujus ruinam minitabatur indies crescens scholarum israeliticarum numerus, unacum Collegio medico denuo instauravit Califa Mostanser, eamque insigni librorum thesauro, novo pharmacopolio, ac pluribus praeceptoribus generosa liberalitate donatis locupletavit. Ipsum Principem, scientiarum cupidissimum, praelectionibus medicis fere quotidie interfuisse constat.

Prodierunt e Schola Bagdadensi, praeter alios complures, Rhazes (A. 923 ✝) atque Avicenna (A. 990), Arabum medicorum facile principes, qui aureas suas observationes in Nosocomio ejusdem urbis collegerunt, et quorum prior, praeceptoris medici munere fungens, tantam nactus est celebritatem, ut ex omnibus terrae plagis adfluerent auditores, summi viri doctrinis imbui cupientes. — Solebant autem medici illius aevi non solum arti salutari diligentiam suam dicare, sed in philosophiae quoque studiis magnam otii consumere partem. Id requirebatur necessario, quandoquidem omnis doctrina medica e Graecorum penu erat derivanda, quorum scripta in arabicum et syriacum idioma diligenter fuerunt conversa; ipsa vero Graecorum scripta medici argumenti sine adcurata philosophiae cognitione. intelligi non potuerant. — Dolendum unice, quod Arabes medici, theoreticis speculationibus, ac dialecticis nugis nimis addicti, observationis studium brevi neglexerunt, paucioribus tantum exceptis, qui Hippocratica praecepta religiose tuebantur.

Laudabilis, quo plures Arabum Principes ardebant in literis et medicis disciplinis promovendis, amor

atque gloriosa cupido, orbis terrarum cognitionem et commercium populorum amplificandi, ad remotissimas usque extendebatur Imperii Mohammedani provincias. Inprimis beneficam hancce literarum promotionem experta est Hispania, Anno 712 a Saracenis occupata, quae a saeculo VIII. usque ad X. floridissimum exhibuit statum. *Academia Hispalensis, Toletana*, ac praecipue *Cordubensis*, Anno 980 condita, per longam annorum seriem celebres, reliquis succedente aetate per Europam subortis Gymnasiis normam dedisse videntur. Novimus equidem Cordubae insignes vixisse Hippocraticae et Galenicae medicinae propugnatores, quos inter Ebn Zohr, sive Avenzoar (A. 1170 ✠), et Ebn Roschd, Averrhoës passim nominatus (A. 1206 ✠), notari merentur; — qualis autem fuerit medicinam practicam docendi methodus, penitus ignoratur. — Saeculo XI. et XIII. etiam in Asiae urbibus Kufa, Bassra, et Damasco medicas floruisse scholas, ex Abulfedae relationibus colligitur.

Quemadmodum sacerdotes omnis pene aevi, omniumque sectarum religiosarum maximum super medicinam habuerunt dominatum; ita etiam in Occidente Christiano circa Saeculum VI. ars medica fere unice a Monachis exerceri consuevit, qui pietatis et philanthropiae titulo arduum hocce lubenter susceperunt officium. Immo nec desunt Episcoporum illustrium exempla, quibus non minor fuit in aegrorum curatione industria, atque peritia. At corruit pari tempore scientifica medicinae cultura, superstitionum, opinionum praejudicatarum et prodigiorum caligine obfuscata, cui dissipandae neque mascula Caroli Magni conamina paria fuere. Ut temporis sui ignorantiae succurreret et monachorum desidiam tolleret, sapientissimus ille Imperator scholas coenobiorum instituit, Academiae Aquisgranensis, Parisiacae, et Ticinensis fundamenta posuit,

nihilque praetermisit, quod ad culturam ingenii, ac disciplinarum incrementa tenderet, consilio et adjumento doctissimi ALCUINI probe suffultus. Totum scientiarum utilium orbem circumscripsit ita, ut *trivio* comprehenderet Grammaticam, Arithmeticam et Musicam, *quadrivio* vero Rhetoricam, Dialecticam, Geometriam et Physicam. His addidit in capitulari ad Theotonam villam dato A. 805 *artem medicinalem*, cujus tamen praecipua pars nonnisi in herbarum cognitione reponebatur. Ultimis tandem vitae suae annis continua excruciatus corporis infirmitate, tanto captus est medicinae amore, ut eam in proprio palatio profiteri jusserit. Verum enim vero inscitia temporum, monachorum ignavia, linguarum cultus neglectus, et servilis animus innumera obtulerunt impedimenta, unde minima tantum beneficarum intentionum et institutionum pars in emolumentum medicinae redundavit.

Magis propitia sors medicis disciplinis arrisit ab illa epocha, qua PP. Benedictini Neapoli considentes (599), duas erexerunt Scholas medicas (Saeculo VIII); unam in MONTE CASSINO, famigerato quondam luco, Apollini sacro, et alteram SALERNI. Licet his monachis a S. Benedicto sola aegrorum cura concessa, omne contra docendi et palam disputandi munus vetitum fuisset, brevi tamen ab hujusmodi recesserunt interdicto; etenim jam circa annum 1040 certus quidam BERTHARIUS, Cassinensis coenobii Abbas, medicinam publice est professus.

Primus, qui haustam ex Arabum scholis, et quidem speciatim e Bagdadensi, doctrinam in Italiam derivavit, atque hinc studii medici in christiano orbe restaurator dici meretur, fuit CONSTANTINUS, e Carthagine oriundus, ideoque AFRICANUS passim dictus (A. 1060). Postquam quadraginta fere annos in scholis Arabum degisset, atque insignem ditionum orientalium

partem peragrasset, patriam postliminio reversus est, quam vero ob Magiae criminationem denuo deserere cogebatur. Salernum tunc confugit, ac postea in Montis Cassini coenobium recessit, ubi, Arabum scripta latine interpretando, et totum eruditionis arabicae cyclum in compendium redigendo, consenuit, et A. 1087 obivit.

Haud mediocris jam saeculo IX. et X. fuit *Scholae Salernitanae* fama; a remotissimis enim regionibus aegrotantes ad hocce salutis atque medicae doctrinae fanum concurrebant. Multo majorem tamen adhuc expolitionis gradum consecuta est saeculo XI. et XII., quo non solum bella ultramarina contra Saracenos, sacras terras infestantes, suscepta, sed etiam fervidus Principum et Monachorum in medicis doctrinis colendis et promovendis studium praecipuam contulerunt symbolam; unde ORDERICUS VITALIS, historicus, qui A. 1141 obiit, Collegium illud per universum orbem ob medicinae scientiam fama pervulgatum fuisse, praedicavit.

GARIOPONTUS (1054), JOHANNES MEDIOLANENSIS (1100), NICOLAUS PRAEPOSITUS (1110), PLATEARIUS SENIOR (1150), atque AEGIDIUS CORBOLIENSIS (1180), inter praecipuos notari merentur hujus Palladii institutores. Superest adhuc *regimen sanitatis Salerni*, a Johanne Mediolanensi, ut passim supponitur, versibus leoninis conscriptum, quod saucio regis Angliae filio Roberto dicarunt monachi. (Ed. Ackermanni. Stendal. 1790). Summum denique perfectionis culmen adtigit Schola Salernitana circa A. 1238 sub benefico Imperatoris FRIDERICI II. tutamine, qui non solum ampla florenti jam scholae, concessit privilegia, — idque praesertim, ut, praeterquam ei et Neapolitanae, A. 1225 conditae, nulli alii Gradus et Licentiam praxin medicam exercendi conferre liceret; — sed etiam Arabum scripta in latinum sermonem transferri enixe curavit.

Statuta Collegii Salernitani perantiqua et peridonea fuere, quae, cum prima in hoc genere sint, atque ex iis procul dubio caetera pleraque ejusdem naturae fluxerint, paucis exhibere non displicebit, Cel. Freindium ad unguem sequendo. Sigilli inscriptio est: « *Civitas Hippocratis* ». Sunt eo decem Doctores, qui sibi invicem juxta creationis ordinem succedunt. Candidatorum examinatio coram magistris in medicinali facultate legentibus severissima est, quae fit aut in Galeni Therapeuticis, aut in primo primi Canonis Avicennae, aut in Aphorismis. Is, qui Doctoratum ambit, unum et viginti annos habere debet, ac testimonia proferre, quae per septem annos eum Medicinae studuisse doceant. — Quodsi inter Chirurgos recipi cupiat, Anatomiam per anni spatium didicisse hunc oportet; jurandum ei est, fidelem se ac morigerum societati futurum, praemia a pauperibus oblata recusaturum, neque Pharmacopolarum lucri participem fore. Tum liber in ejus manum traditur (diploma), annulus digito induitur, caput laurea redimitur, atque ipse osculo dimittitur. — Alia demum sunt statuta ad praxeos ordinationem pertinentia; Pharmacopolae praesertim, ut juxta Medici praecepta componant medicamenta, et ut ea certo pretio divendant, obligantur. — Silentio denique praetereundum non est edictum Rogeri II., primi Regis Siciliae (Anni 1143), quo medicis exercitium praxeos per ditiones Neapolitanas vetitum erat, nisi prius a Regis munere fungentibus veniam habuerint. Hanc legem anno circiter 1150 Fridericus Aenobarbus, Rom. Imperator, occupato regno Neapolitano amplificavit et confirmavit, prohibuitque, » ne quis » ad faciendam medicinam admitteretur, nisi a medi- » cis collegii salernitani, aut neapolitani probatus, et » consecutus esset potestatem medendi ».

Saeculo XIV. celeberrimum hocce salutis et medicae

doctrinae forum communem institutionum humanarum subivit sortem. Nihil est, quod senio non exarescat; et ita quoque Schola Salernitana ab illo inde tempore, quo in Monte Pessulano, Lutetiis Parisiorum, atque Bononiae medica Collegia erecta fuere, de pristina sua celebritate plurimum amisit, donec tandem oblivionis situ obducta aemulis locum cessit sororibus.

Testimoniis JOHANNIS SARESBURY, et AEGIDII CORBOLIENSIS edocemur, saeculo XII. in MONTE PESSULANO et PARISIIS *medicas* floruisse *scholas*, quas numerosi adiverunt discipuli, ut salutiferam ibi condiscerent artem. Prior, ut videtur, anno 1150 erecta, certum RENAUDIUM, — altera anno 1215 ad exemplum Salernitanae instituta, HUGONEM PHYSICUM et OBIZONEM, ceu primos medicinae professores numerat.

Academia Parisiensis jam saeculo XIII. amplissimis potita est privilegiis, tantamque adlexit auditorum copiam, ut quandoque habitantium superassent numerum. Cunctis philosophiae et medicinae praeceptoribus, quos *Clericos* passim nominabant, ad saeculum XIV. usque nuptiae vetitae erant. Medici autem ab anno 1231 pro ratione Studiorum in Bacalaureos et Magistros, in Physicos, Theoricos et Practicos distingui solebant. Chirurgi anno 1271 proprium collegium formare coeperunt. Opera, usui lectionum publicarum dicata, fuere: Aphorismi HIPPOCRATIS, ejus Prognosticon, et liber de Diaeta in morbis acutis; scripta THEOPHILI de structura corporis humani; JOHANNITII (HHONAIN, Nestoriani, scholae Bagdadensis discipuli) Isagoge in artem parvam Galeni, et opera AEGIDII; e quibus saltem conjicere licet, medicinam Hippocraticam plurimum aestimatam fuisse.

Schola Monspessulana, — haeres, ut ajunt, illius medicinae, quam in celebri Cordubensi universitate longa annorum serie et Maurorum diligentia floruisse,

Hispaniae historia testatur, — anno 1220 curante Cardinali CONRADO analogis, uti Parisiaca, exornabatur privilegiis, suamque in medicis disciplinis praestantiam per plura conservavit saecula. Salubritas climatis, et coeli clementia, cujus gratia aegrotantes illuc turmatim concurrebant, nec non illustres medicinae professores, BERNARDUS DE GORDONIO (1284), ARNALDUS VILLANOVANUS (1295), GUIDO DE CHAULIAC (1363), VALESCUS DE TARANTA (1418), aliique plures, celebritatem Athenaei Monspeliensis insigniter auxerunt.

Saeculo XIII. etiam in Italia plures extitisse scholas, uti Ferrarae, Patavii, Mediolani, Ticini, et Placentiae, easque haud mediocrem expolitionis gradum acquisivisse, doctissimus TIRABOSCHIUS testatur. Eminuit vero tunc temporis *Academia Bononiensis*, mater studiorum dicta, et vix non prima *Universitatis* titulum adepta, quae jam anno 1295 insignem bibliothecam, multoque prius scholam medicam sibi junctam habuit. Primus, qui *Magistri* appellationem inter medicos usurpavit, fuit JACOBUS BRITONORIENSIS, qui anno 1213 decessit. Medio saeculo XIII. nobiliores quidam reperiuntur medici, qui vulgata illa et communi compellatione haud contenti, *Medici Physici*, aut *Physicalis Scientiae Professores* dici amarunt, quo quidem nomine nullum insignitum fuisse constat ante PETRUM VERCELLENSEM. Eodem tempore inter medicinae Professores honorum gradus invecti sunt, et Doctores creari coeperunt, Magistri titulum jam sibi vindicantibus quotquot Clinicam medicam, aut chirurgicam, cujusvis licet scholastici muneris expertes, factitabant. — Celebritatem scholae medicae Bononiensi inprimis adtulit THADDAEUS ALDEROTTUS, communiter FLORENTINUS dictus, qui quasi medicinae restaurator aetate illa habitus est, ideoque etiam secundus Galenus compellabatur. Docere coepit circa annum 1260, aut non multo serius,

parique tempore scribendo vacabat; neque operam suam curandis aegrotis desiderari patiebatur. Ille fidelis Coi oraculi sectator, felix in debellandis morbis, doctus in schola, plus operae contulit instaurandis medicinae studiis ad ejus saeculi gustum, quam superiores omnes; etenim medicinam cum philosophia arctissimo foedere conjunxit, suique aevi medicos in operum Hippocratis, Galeni, et Avicennae interpretatione laudabili praeivit exemplo, a quorum heroum praeceptis declinare etiam posterioris aetatis professoribus vetitum erat. — Facultas medica jam saeculo eodem plures complectebatur classes, ac veluti Ordines hominum, qui alias atque alias medicinae partes tractabant; erant enim et *medici plagarum*, sive *chirurgi* (1258), et *medici ocularii* (1283), et qui, in herniis curandis praecipue occupati, *medici crepatorum* vulgo appellari consueverant (1289), et tandem *medici barberii* (1283), nostris barbitonsoribus procul dubio parum superiores. De modo tamen, quo medicina practica doceri solebat, nihil certi habemus; ipseque Fattorinius, adcuratissimus caeterum fastorum Bononiensium scriptor, hoc argumentum silentio praeterivit.

Ex brevi hocce conspectu historico scholarum medicarum, quatenus clinicam respiciunt institutionem, sequentia innotescunt: 1. Schola Cnidia et Coa pro incunabulis κλινικης, seu medicinae ad lectos aegrorum factae et professae agnosci debet; meritum Asclepiadum, et speciatim Hippocratis. — 2. Schola Alexandrina historiam naturalem et anatomiam potius, quam medicinam practicam promovere juvit; pauca vero ejus incrementa unice Sectae Empiricorum debentur. — 3. Schola Gandisaporensis et Bagdadensis primae fuerunt, quae praxin nosocomialem cum disciplinis medicis felici omine copularunt; sit laus et honos Nestorianis, atque Califis Arabum, qui priorum

studia et conamina, generosa munificentia tuebantur. — 4. Collegium medicum Salernitanum, in Christiano orbe primum, cunctis serioris aevi scholis prototypum dedit, laudabilibusque praeivit disciplinarum medicarum institutionibus, scholastico studiorum ordine, statutis positivis, privilegiis, atque honoribus academicis. — 5. Antiquissima medicinam practicam docendi et discendi methodus illa fuit, quam hodie passim *Polyclinicam* vocant. Neque tot tantique medici variis aetatibus illustres, requisitam in observandis et curandis morbis dexteritatem acquirere potuissent, nisi eam sub expertorum jam in arte virorum auspiciis ad lectos aegrotantium condidicissent; et quum Nosocomia nonnisi saeculo IV. erigi coeperint, iterumque longa intercesserit intercapedo, donec hodiernam adtigerunt universitatem, praxis clinica necessario apud aegros privatos exerceri debuit.

Quamquam aevum omne exempla praeceptorum et discipulorum in medicina practica exhibeat; nihilosecius desiderabantur usque ad saeculum XVII. *Scholae Clinicae* in publicum emolumentum extructae, tales quippe Palaestrae, quae pauciores aegros in eum unice finem recluderent, ut tyronibus in arte medica rite perdiscenda inservirent, eruditionem igitur ad lectum aegrorum unacum practico exercitio copularent, simulque Reipublicae praesidiis potirentur. Urgentem hancce necessitatem recens aetas probe perspexit; aliud enim est medicinam unice in aegrorum commodum facere (praxis privata et nosocomialis); aliud eam facere, parique tempore profiteri, id est, omnium, quae ad lectum fiunt, minutam reddere rationem, ac modum indicare, quo juniores medici se gerere debeant, ut morbos dignoscere, rectam medelam opponere, in singulis necessariam dexteritatem acquirere, ac tali pacto arduo medici muneri satisfacere adamussim queant.

Non ignoro equidem anno 1578 Albertinum Bottonum, et Marcum Oddum in Gymnasio Patavino medico-practicis praefuisse disciplinis, idque speciatim officium impositum habuisse, ut in Nosocomio S. Francisci discipulos quotidie ad aegrorum lectulos conducerent, et circa morborum decursum et medendi rationem instruerent. Immo jam anno 1543 certus quidam Joh. Bapt. Montanus, Veronensis, clinicis exercitiis, ac multorum discipulorum eruditione tantam nactus est famam, ut a nonnullis sui saeculi pene oraculum, ab aliis secundus Galenus vocaretur. — Itidem constat, *Ingolstadii*, occasione reformationis illius scholae, anno videlicet 1562, decretum fuisse emanatum, quo medicinae practicae Magister auditores suos ad aegrorum lectos conducere obstringebatur. Ejusmodi autem ritus jam Saeculo VII. et VIII. Gandisaporae et Bagdadi viguit; quapropter Comparettius sine jure Gymnasio Patavino primae scholae clinicae meritum tribuere est adnixus.

Primum Institutum Clinicum, unice eruditioni medico-practicae discipulorum dicatum, anno 1658 *Lugduni Batavorum* condidit Franciscus Sylvius de la Boë, qui summo studio morborum symptomata rite observanda, causas expiscandas, remedia praescribenda, et cadavera scrupulose rimanda esse docuit, suasque observationes primi anni scholastici sub titulo, *Collegium Nosocomicum*, typis edidit. Subsequentis triennii ephemerides medicas ab ejus discipulo Joachimo Meriano accepimus. — Immortalis Boerhaavius praeceptoris memoriam dignius celebrare nequivisset, quam ipsi scholae practicae, cujus docendi munus circa annum 1714 suscepit, majorem conciliando expolitionem.

Leidae ad exemplum jam anno 1720 *Edinburgi* scholam clinicam a Boerhaavii discipulis erectam fuisse, Fothergilius testatur; ejus famam summi viri,

Monro, Home, Whytt, Gregory, et Cullen potissimum auxerunt. — Anno demum 1754 Gerardus van Swieten, eximius ille literarum promotor, jussu Divae Imperatricis, MARIAE THERESIAE, *Vindobonae* proprium ac separatum Institutum clinicum in Nosocomio civico, viginti lectis instructum, usui tyronum destinavit, quorum eruditio Antonio de Haen, Boerhaavii discipulo doctissimo, ac summe experto viro fuit commissa. Post Haenii obitum hanc provinciam anno 1776 suscepit Maximilianus Stoll; ipsa vero schola practica in Nosocomium suburbanum SS. Trinitatis, et anno 1784 in Valetudinarium magnum translata est. Joh. Petr. Frank ab anno 1795 ad 1804, et Valent. ab Hildenbrand, — parens mihi amantissimus, et ad busta colendus praeceptor, — ab anno 1806 usque ad 1818, celeberrimo huic per omnem terrarum orbem Ephebeo praefuerunt, quod ad hodiernum usque diem sub faustis auspiciis eximii Johan. Nep. Raimanni floret.

Nimis a scopo aberrarem, si referre vellem, quot et quales scholas instituerit quaeque regio, clinicis studiis destinatas, ac nimiam profecto in molem turgesceret hic meus tractatulus isagogicus, si chronologica serie enumerarentur, atque epicritica analysi disquirerentur omnes et singulae Scholae Clinicae, quae praeterito et currente saeculo superiorum ad exemplum conditae fuere, promotione medicinae hippocraticae non minus, ac Antistitum, earum curam gerentium, peritia illustres. Potiores notiones cupidus lector inveniet in docta praefatione, quam Clariss. Gauthier Rationi medendi pie defuncti parentis, in gallicum sermonem translatae, praeposuit. Immorabor unice Cliniees Ticinensis, jam a prima sua origine famigeratae, fatis, eoque libentius, quod ab auctoribus vel sicco tantum calamo adumbrata, vel plane historicis erroribus adulterata fuerunt.

CAPUT PRIMUM.

SCHOLAE CLINICAE, QUAE TICINI EST, HISTORIA, ET INSTITUTI RATIO.

Archigymnasium Ticinense, antiquissimum honoe Pieridum delubrum, a Carolo Magno versus finem saeculi VIII. conditum, a Ludovico Pio A. 829 confirmatum, et ab Imperatore Carolo IV. A. 1361 restauratum, simulque Universitatis nomine et honore insignitum, singularem semper vindicavit praestantiae gradum, ita quidem, ut olim jam suis sedibus convulsas Athenas in Papiensi Academia habitare dixerint. Medicae vero disciplinae, superiori aevo plurimum neglectae, ab illo duntaxat tempore florere coeperunt, quo Diva Imperatrix, MARIA THERESIA, hanc Universitatem ampliari, novisque privilegiis augeri jussit (A. 1763). Insignia Immortalis Mulieris, ejusque Magni Filii, JOSEPHI II., beneficia, Ticinensibus Musis illata qui norit, non poterit, quin justa admiratione et gratitudine perfundatur (1).

(1) De maximis beneficiis ab A. A. Principibus Austriacis Archigymnasio Ticinensi collatis, Oratio Eliae Giardini Pandectarum Professoris. Mediolani. 1815.

Primum ab instauratione studiorum Professorem medicinae practicae Carolum Carenum fuisse, e sequenti elucescit documento, cujus tenorem ad literam subnectere placet, quatenus, etsi nullam adhuc de propria Schola clinica mentionem contineat, singularem jam spirat Regiminis in promovendo medicinae practicae studio curam et industriam, laudabilemque doctorum Virorum aestimationem.

Praeses et Senatus Regio-Caesareus, ac Ducalis Provinciae Mediolanensis.

» Cum primum Aug. M. Theresia ad regiae paterr» nae dignitatis fastigium evecta est, nihil antiquius » habuit, quam ut scientiarum, bonarumque artium » studia ubique florerent, et ad pristinam gloriam re» vocarentur; quo effectum est, ut Excelsa haec lite» rarum Parens, et Altrix simul cum Imperii guberna» tione, liberalium disciplinarum tutelam suscepisse » videretur. Hoc itaque praeeunte Sidere id quoque » evenit, ut, cum Senatus cultiorem tradendarum scien» tiarum methodum in Regia Ticinensi Universitate » praescriberet, summopere eidem Augustae Dominae » accepta fuerit haec nostra de literariis studiis instau» randis sollicitudo.

» Hinc postquam maturo judicio ad caeteras libe» rales disciplinas apte, utiliterque excolendas viros » ingenio et doctrina praestantes Senatus elegerit, re» liquum erat, ut, vacante Cathedra Medicinae pra» cticae ordinariae, idoneum clarumque Professorem » in hac sede constitueremus, qui studiosam juventu» tem tutioribus ad veram praxim observationibus ac » praeceptis instrueret, medendique artem explanaret, » duobus quasi cruribus incedentem (quemadmodum » monet Vallesius), experientia nimirum, et ratione, » ita ut uno deficiente, alterum prorsus vanum et inu» tile evadat. Experientia quippe varia suppeditat ad » argumentationes medicas necessaria; Ratio dispo» nit; — illa colligit, haec judicat, utraque vero me» dicam artem perficit.

» Prae caeteris itaque, qui, juxta novi Instituti » rationem, doctrinae suae periculum fecerint coram » Illustri Ordinis nostri Praeside, ac Magnificis Duum» viris, judicium inde ferentibus, clarissimis in arte

» medica Viris, egregio nempe Hieronymo Andriano
» Reg. Protophysico, Paulo Valcarenghio jam pridem
» in eadem Ticinensi Universitate Primario medicinae
» rationalis Professore, nunc ad Palatinas hujus urbis
» scholas, honoris causa translato; ac Gulielmo Pa-
» trinio Physico, atque in hoc celeberrimo nosocomio
» Anatomes Professore, longe solidius atque uberius
» Theoriae et Praxeos specimen intelleximus exhibitum
» a Physico Johanne Baptista CARENO, cujus fama, ac
» in arte medica praestantia satis abundeque nobis
» perspecta fuerat, tum ex elaborata ejus dissertatione
» typis edita. = De aëris ingressu in ventriculum
» etc: = qua Galeni vestigiis in Lib. Hippocr. adprime
» insistendo, Theoriam et Praxim optime eum callere
» novimus; tum ex assidua ipsius in hujusmodi artis
» exercitatione, quam perutiliter solerterque adversus
» aegrotos ostendit in amplo florentique Vicomercati
» primum, mox Brignani oppido; unde tandem et ipse
» non impari honoris exitu, ac praestantissimus Ho-
» mobonus Piso, Civis Cremonensis, qui ex eodem
» Brignani oppido, ubi medicam artem exercuerat,
» ad Medicinae practicae Cathedram in celeberrima
» Patavii Academia olim vocatus est, ad hanc Tici-
» nensem evehi mereretur.

» Haec proinde in causa fuerunt, cur ad Medicinae
» practicae ordinariae Exedram spectatissimum hunc
» Virum promovendum censuerimus, ea plane spe
» freti, ut studiosi, cupidique juvenes, sub assidua,
» accurataque ejusdem disciplina Clinici quandoque me-
» dici optime evasuri sint, morborum ideas et causas
» rite perscrutantes, atque congrua seligentes remedia,
» quibus opportune opitulentur aegrotis, neque ex il-
» lorum numero esse videantur, qui posteaquam e
» limine tantum medicinam salutaverint, et vix me-
» dica nomina, indigestosque discursus, et promiscua

» remedia tumultuarie ac memoria potius, quam intel-
» lectu acquisiverint, repente atque inconsulto ad hanc
» artem exercendam se se transferunt tanto aegroto-
» rum damno, summoque ejusdem Artis dedecore.

» Quamobrem praelaudatum Physicum Johannem
» Baptistam Careno in Professorem Medicinae practicae
» ordinariae in Reg. Ticinensi Universitate, curae no-
» strae commissa, Senatus Decreto ad triennium eli-
» gimus, annuo eidem stipendio quamprimum a Nobis
» adsignando; Eum hisce litteris ex Senatus Consulto
» concinnatis nova hac dignitate auctum renuntiamus,
» ipsumque iisdem honoribus, immunitatibus, ac pri-
» vilegiis, quibus Antecessores sui in hoc munere frue-
» bantur, libentissime cumulamus. In quorum omnium
» testimonium praesentes Sigilli Regii, qua utimur, im-
» pressione munitas fieri, et registrari jussimus.

» Datum Mediolani pridie Idus Decembris Anno
» aerae christianae MDCCLXIII, ab Instauratione Stu-
» diorum I.

Subscr. Julius Caesar Bersamus. Paludus *Cancellarius.*
Sigillat. Cum Sigillo Senatus Excell.

Johannes Bapt. Burserius de Kanilfeld, Tridentinus, anno 1770 electus Professor Materiae medicae (1), atque anno 1772 ad exedram Praxeos medicae promotus, antecessorum more discipulos suos per varias conduxit Nosocomii aulas, potioresque ibidem occurrentes aegritudinum casus explicuit. De hujuscemodi autem institutionis vagae, sive polyclinicae insufficientia atque incommodis brevi convictus, anno 1773 proprium cubile sexdecim lectis instrui curavit, ut totidem viris aegrotantibus excipiendis, ac unice discipulorum solerti observationi dicatis inservirent. Mense Februario anni successivi, 1774, paulo minorem adjunxit feminarum numerum, in angustiori conclavi

collocatum. Burserius itaque jure Scholae medico-practicae Ticinensis fundator dici meretur.

(1) Oratio de retardata Medicinae practicae perfectione, habita in Reg. Ticinensi Gymnasio Kalend. Junii. 1770.

Potsquam incomparabilis ille Vir, facundia atque eruditione non minus, quam experientia dives, discipulorum affabilis amicus et parens potius, quam antistes, ad annum 1778 hancce provinciam summa cum laude adimpleverat, Archiatri Archiducalis munus Mediolani suscepturus, indelebilem sui nominis memoriam in lugente reliquit Athenaeo, ad cujus splendorem plurimum contulit. Bene merenti Bassano Carminato, qui Praeceptoris sui, A. 1785 denati, biographiam eleganti descripsit calamo, laus et grates (1). Exornat Universitatis Ticinensis aedes marmoreum simulacrum Viri, quem felix Ausonia suum esse jure gloriatur, quem totus literarum orbis stupet ac veneratur; grata recordatione praetereuntes perfundit Ferrariana epigraphe:

Jo. Bapt. Borsierio . Trident,
Faventiae . Ob . Promerita
Civitate . Donato
Papiae . In . Univers . Reg . Decennium
Professori . Primario . Scientiae . Medicae
Hinc . Mediolani . Septennium . Archiatro
Ferdinandi . Archid . Austr . Gub . Insubr.
Religionis . Modestiaeque . Exemplis . Spectatissimo
Item . Doctrinae . Monumentis
Plus . Quam . Hic . Scribi , Potuit
Jo. Bapt. Manzonus . Mediol. Ae. S.
Amico . Carissimo . P.
Ob. A. MDCCLXXXV . Aet. LXI.

(1) Prolusione agli studj detta nell' Università di Pavia per l'anno scolastico 1809—1810.

Derelictam a Burserio Clinices institutionem Carolus Gallarati, Medicus Primarius Nosocomii peritissimus,

Professoris honorarii titulo fruens, supplevit ad annum 1781, quo celeberrimus medicus Lausanensis, SIMON ANDREAS TISSOT, ab Imperatore Augusto, JOSEPHO II. benigne invitatus, susceptam provinciam die 26. Novembris 1781 solemni oratione inauguravit. — Mense Februario A. 1782 ab excellentissimo Comite DE FIRMIAN, strenuo Musarum Ticinensium auspice, exhortatus Tissotus, ut cuncta proponeret adminicula, quae pro politiori eruditione clinica existimaret necessaria, fervidis apud excelsum Regimen precibus intercessit, ut angustis et sejunctis aegrorum cubilibus duae ampliores ac invicem contiguae substituerentur aulae. Aedificationem a magnanimo scientiarum Mecaenate, Archiduce FERDINANDO mandatam, et Anno 1783 inchoatam ipse Tissot direxit, ac ad eam evehi curavit praestantiam, cui hodieque adsentiuntur advenae.

Livoris atque invidiae insectatione pertaesus post biennium dimissionem impetravit, patriam tranquillitatem splendido quidem, at salebroso muneri praeferendo. Praeclari, et consumatae experientiae Viri monimentum lapideum a gratis discipulis positum Clinicam illustrat palaestram:

S. A. D. DE . TISSOT
DOMO . LOSANNA . IN . HELVETIIS
CONSVMATAE . PERITIAE . MEDICO
STVDIORVM . IN . VNIVERSITATE . HOCQVE . NOSOCOMIO
PER . BIENNIVM
SVMMA . CVM . LAVDE . MEDENDI . ARTEM . PROFESSO
HONESTA . IMPETRATA . MISSIONE
PATRIAM . REMEANTI
TICINIA . VRBANA . CLINICA . PVBES
TANTI . VIRI . AEMVLATA . STVDIA . TITVLVM . FECIT
CIↃIↃCCLXXXIII.

Post brevem intercapedinem, — qua, ne tyrones medicinae practicis privarentur adminiculis, Clar. BASSANUS CARMINATI, Materiae medicae Professor ordina-

rius, prospexit, — tertius subintravit Clinices Ticinensis Heros, Johannes Petrus Frank, emporium illud eruditionis, artis salutiferae sidus, quem nominasse, jam laudasse est. Pridem Professor praxeos medicae in Cel. Regia Academia Gottingensi, ac jussu munificentissimi Caesaris, JOSEPHI II., Papiam accitus, novum munus, eleganti discursu exorsum (1), mense Majo A. 1785 suscepit. Eminens, qua jam eo tempore potiebatur, fama, numerosissimos ex omni plaga juvenes discendi cupidos adlexit, qui vel id solum sibi honori et fructui duxerunt, sub tanti praeceptoris vexillis studuisse. — Neque intra solius institutionis clinicae, ad summum perfectionis culmen evectae, cancellos Ejus constiterunt merita; — aliis enim quampluribus institutis hygienem publicam promovit et auxit, humanitatisque languentis sortem permulxit. Pharmacopoliis per universam Insubriam Austriacam utilissima praescripsit statuta; Nosocomio civico Ticinensi desideratam conciliavit absolutionem, ac medicis, aegrorum curam ibi gerentibus, summe idoneum praefixit codicem pharmaceuticum; tandem circa A. 1786 prima posuit fundamenta Musaei Pathologici, quo pretiosa adservantur partium morbosarum praeparata, ab ipso Frankio in suis Interpretationibus clinicis, atque in Epitome de curandis hominum morbis, cujus quinque volumina Ticini conscripsit, memorata, et seriori aetate insigni numero aucta.

(1) J. P. Frank, Medicinae practicae et Clinices in R. Ticinensi Archigymnasio Professoris, Discursus Academicus, quem ad tyrones, cum Instituti Clinici curam susciperet, die 30 Maji 1785 praefatus est. — In Delectu Opusculor. Medicor. Vol. VIII.

Per bina quasi lustra luminosum hocce Universitatis Papiensis columen indefessa diligentia omne impendit studium, ut, quidquid in bonum et utilem conspirat finem, solerter promoveatur, crescat et floreat. Ast

nec illi summo Viro, — qui cum admirabili dicendi gravitate ditissimam aureorum praeceptorum conjunxit copiam, qui concinno et comi sermone audientium animos delectare, frigidos ac remissos subjectis veluti facibus inflammare scivit, qui uberrima sua doctrina, consumata peritia, et singulari praxeos et studii clinici expolitione universae reipublicae literariae admirationem concitavit, — nec summo illi, inquam, Viro acerbae invidiae et malitiosae insectationis toxicon pepercit! — Nobilius Optimi Caesaris, FRANCISCI I., benignitas malevolentes obtrectationes depellere, amaras sollicitudines diluere, partaque merita compensare nequivisset, quam Eundem in Metropolim Austriadum arcessendo, novisque honoribus cumulando. En, quod aedes clinicae religiose adservant, tanti Viri mnemosynon, lapidi insculptum:

Jo . Petro . Frank . Germano
Francisci . II. Imp. A. Consiliis
In . Ticinensi . Athenaeo
Clinices . Ad . Decennivm . Professori
Nosocomiorvm . Per . Insvbriam . Praesidi
Qvod.
Politiam . Medicam . Primvs . Invexerit
Sapientia . Sedvlitate
Alvmnos . Excolverit . Perfecerit
Mvsaeo . Pathologico . Conlecto
Magistratv . Med. Et. Clinica . Chirurgica
Papiae . Impetratis
Plvrimis . Editis . Volvminibvs
Artem . Salvtarem . Novis . Svbsidiis . Ditaverit
Nvperqve . Caesareo . Placito . Viennam . Accitvs
Ingens . Italiae . Desiderivm . Svi . Reliqverit
Jo . De Felice . Med. D.
Institvtoris . B. M. Mem. Perp.
Aere . Prop. Tit. D.
MDCCXCV.

Virtutis atque doctrinae patris aemulus filius, JOSEPHUS FRANK, Professoris extraordinarii titulo et munere potitus, mense Januario 1795 institutionis clinicae provinciam suscepit, plaudente magno discipulorum et hospitum exterorum numero, suasque observationes practicas epicriticis notis ornatas typis excudi curavit (1). Non solum Annum Scholasticum 1794-1795, a summo Genitore inchoatum, ad umbilicum conduxit, sed etiam proximum cyclum clinicum 1795-1796 laudabiliter exorsus est. Verum enimvero jam mense Aprilis Universitatis aedes claudi debuerant, ob invadentes Gallo-Francorum hostiles turmas. Patris vestigia prementem filium sertae honoribus coronae praestolabantur, studiis laboribusque dignae.

(1) J. FRANK Ratio instituti clinici Ticinensis, a mense Januario usque ad finem Junii anni 1795. Ticini. 1797.

Iniquam tumultuum bellicorum, atque anarchicae rerum politicarum revolutionis sortem ipsa Schola clinica eluctari nequivit; — trementes Camoenae sub diro Martis imperio contabuerunt. Ab origine Reipublicae Cisalpinae (20. Maji 1796) bonas artes quasvis novercae manu tractatas, ac speciatim clinicas disciplinas squalore obductas ingemuisse, ipsa fata clarissime demonstrant. Injustum equidem foret, Viris praeclaris, qui per intercapedinem octo annorum medico-practicae praefuerunt scholae, omne abnegare velle meritum; strenua tamen eorum conamina in excolendo et absolvendo studio clinico infructuosa manere debuisse, nemo sane mirabitur, dummodo perpendat breve tempus, quo singuli curam Institutionis sibi commissam habuerunt, atque inopiam adminiculorum necessariorum, quibus subministrandis fluctuans et arbitraria nimis ratio Regiminis constanter obstitit.

Convulsione bellica pro tempore complacata, atque reseratis denuo Athenaei aedibus, quod mense No-

vembris 1796 accidit, nondum decretum erat, cuinam vacantem committere medicinae practicae cathedram. Placuit interim Professoris Supplentis titulum, et docendi munus Clarissimo VALERIANO ALOYSIO BRERA (9. Decembris 1796) impertire, qui concreditam provinciam confestim adgressus est (1), eam intervallo duorum annorum scholasticorum, 1796-1797, et 1797-1798 cum laude administravit, observationumque collectarum copiam publici juris fecit (2).

(1) Introductio, quam in Archigymnasio Ticinensi primae praelectionis loco Medicinae Clinicae tyronibus die 17 Mensis Decembris A. 1796 publice habuit V. A. BRERA. Papiae. 4.

(2) V. L. BRERA Annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella Clinica medica della R. Università di Pavia negli Anni 1796-97-98. Ed. 2. Crema. Vol. I. 1806. — Vol. II. 1807.

Ineunte proximo studiorum cyclo, JOHANNES RASORI, Professor Pathologiae, decreto 8. Octobris 1798 ad exedram clinicam promotus, hanc die 30. Novembris solemni inauguravit Oratione, vel dicam potius, improbo convicio Hippocratis, quem superstitionum, absurditatum et errorum in medicina parentem declarare non piguit (1). Ast munia vix inchoata deponere coactus Hippocraticae medicinae implacabilis osor, ideoque in praxi haud felix, primis diebus mensis Januarii 1799 scholam medico-practicam orbam reliquit, stomachosus, pluribusque pertaesus molestiis, quibus et malitiosa Thalia irrisorium immiscuit stimulum.

(1) Analisi del preteso genio d'Ippocrate. Discorso recitato nell' assumere la Cattedra di Clinica in Pavia il giorno 10 Frigifero, Anno VII, dal Cittadino G. RASORI. Milano. 1799.

Intercedente vacuo trium quasi mensium intervallo, successit meritissimus PETRUS MOSCATI, jam ab anno

1797 (Decreto 27. Novembris) Primarius Clinices Professor designatus, atque valetudinariae senectutis causa subsidio supra laudati Professoris adjuncti Brera suffultus. Postquam summus ille Vir novam provinciam die 28. Februarii 1799 Discursu academico auspicatus esset, quo venerandi antiquae medicinae Fundatoris honorem ab antecessoris injuria vindicare, ac systematum in arte salutifera utilitatem mascula eloquentia defendere sibi proposuit (1), mensis Aprilis initio clinicis exercitiis suam operam navare occepit. Verum enimvero mensis spatio vix transacto jam decessit, coruscante recentium politicarum procellarum nimbo abreptus, patriisque e Laribus evulsus.

(1) Discorso inaugurale dell' Uso dei Sistemi nella pratica Medicina.

A mense Majo 1799, usque versus finem anni 1800 omnia studia Ticini intercepta fuere, atque Pieridum deserta mansit sedes, mense duntaxat Novembris iterum in commune commodum aperta. Adsumsit nunc Petrus Panazzi, Anconensis, clinicae institutionis provinciam, absentis Professoris Ordinarii, Petri Moscati, vices agens: cursu tamen academico ad finem perducto, 19. Junii 1801 patriam reversus est (1). — Subsequenti anno scholastico 1801-1802 Josephus Raggi, Ticinensis, jam ab Anno 1791 Professor Ordinarius Pathologiae et Medicinae forensis, atque Anno 1802-1803 Bassanus Carminati (secunda vice) temporario Institutoris clinici munere sunt perfuncti.

(1) Pietro Panazzi Anno Clinico. Milano. An. X. (1801.)

Composita tandem in Langobardorum solo politica catastrophe, etiam Clinicis studiis Phoebus denuo alluxit. Anno quippe 1803 (mense Novembris) Josephus Raggi, theoreticam Cathedram cum practica commutavit, Professoris Clinici Ordinarii honoribus et muneribus insignitus. Integerrimus iste, ac rarae probi-

tatis Vir, utut per vices grassantibus theoriis fortasse nimia auscultarit facilitate, perennem sibi nihilosecius promeruit posterorum ac discipulorum gratitudinem. Strenuus enim et scrupulosus in summe intricatis morborum generibus determinandis judex, nec non felix in iisdem medendis magister, Hippocraticarum veritatum dignitatem et excellentiam medias inter procellas literarias mascula constantia propugnare studuit. Obiit anno 1816 (mense Januario) non sine universali luctu, grata omnino dignus memoria, quam Clinicum Ephebeum conservat parieti infixam:

JOSEPHO . RAGGI . TICINENSI
QVI . IN . OMNI . RE . MEDICA . VERSATISSIMVS
PER . ANNOS . XXV
IN . PATRIO . ATHENAEO
PLVRA . VARIAQVE . DOCVIT
ARTE . VERO . CLINICA . PRAESTANTISSIMVS
HVIC . SCHOLAE . COLVMEN . DECVSQVE
PAENE . TRILVSTRE . FVIT
NOSOCOMII . BIS . MODERATORI
CVI . INTEGRITAS . FIDES
INGENIO . SCIENTIAE . PAR
INCERTVMQVE . AN . CONSILIVM . AN . PIETAS . MAJOR
EGENORVM . SOSPITI
VIRO . INGENVO . MODESTO . SAPIENTISSIMO
VXOR . GNATI . AC . DISCIPVLI
P.
AN . MDCCCXVII.

Vacuam exedram interea occupavit eruditissimus Pathologiae Professor, VINCENTIUS RACCHETTI, eximium Archigymnasii Ticinensis decus, a mense Aprilis 1816, usque ad 28. Junii 1817 clinicam dirigendo institutionem. Complere juvit seriem praestantium Virorum,

qui huic salutis Palaestrae jam ab ejus incunabulis singularem conciliarunt splendorem. Praecoci fato ereptum paulo post luximus omnes.

Anno 1817 (die 29. mensis Augusti) demum Caesar Augustus, FRANCISCUS I., scientiarum bonarumque artium promotor studiosissimus, ac populorum parens amantissimus, honorificum docendi munus mihi benigne deferre decrevit, quod etiam 22. Octobris, auspicante Deo Ter Optimo Maximo, suscepi, oratione solemni (De optima praxin clinicam instituendi methodo) inauguratum. — Quamvis summa animi mei fuerit ex impertito honore laetitia et voluptas, lubenter tamen fateor, nobile hocce suggestum tremulo nonnisi crure, et palpitante corde conscendisse; in eodem enim loco, ab eodem subsellio, ex quo tanquam e tripode tot celeberrimi Professores oracula sua effudere, practicam medicinam studiosae juventuti profiteri modo incubuit. Sive igitur regionem, sive loci praestantiam, sive praecessorum omni laude superiorum gloriam spectaverim, omnia animum adficere, commovere, percellere debuerant. Neque infimae molis opus erat, infelix illud exterminare lolium, quod laetas doctrinarum medicarum segetes inquinavit; sanguinariam utpote sternere hydram, quae jam a pluribus annis tyrannidem exercens, Hippocraticae medicinae ruinam et exitium minabatur. Quare id, quod experientia annosa et consumata doctrina defuit, improbo saltem labore, nec unquam torpenti adsiduitate compensare sum adnixus. — Tantis autem difficultatibus removendis, pluribusque aliis molestiis acerbis, quas discordia et malevolentia confestim seminare non neglexit, superandis profecto impares evasissent conatus mei, nisi innata quaedam animi fortitudo, et in recte agendo firmitas, Divini praesidii fide vigorata, insectationis tela depellere scivisset, Summique Viri aucto-

ritas et solatium semper novum calcar addidisset. Gaudeo medullitus de auspicatissima opportunitate, ANTONIO SCARPAE, Studiorum medicorum Praefecto, venerando Italorum Machaoni, quem in literario otio et amoenis Aonidum viridetis consenescentem totus stupet orbis, debitam observantiae et gratitudinis copiam non solum fateri, sed etiam profiteri posse. Ejus enim affabilitas et comitas, qua novellum flaminem in delubro scientiarum excepit, — evigilata consilia, quibus titubantes in principio gressus direxit, — atque paterna benevolentia, qua me indesinenter prosecutus est, geminatum veluti robur instillarunt venis, ita ut, contemtis ac eversis quibusvis impedimentis, honoris et publicae utilitatis ad metam tanto alacrius properare licuerit.

Potiora principia, quibus innixus arduum et salebrosum Clinices munus incepi, et postea conduxi, nunc breviter sum expositurus. — Triplex universim statui potest Scholarum clinicarum scopus: *discipulorum in morbis rite cognoscendis et curandis institutio*, *artis medicae promotio*, *atque leniendae aegrorum sortis cura.* — Utrum et ego, praefixum ardenter cupiens adtingere finem, publicae expectationi responderim, nec ne, publicum hocce demonstrabit testimonium, quo rationem docendi, observandi et medendi religiosa cum ingenuitate palam facere mihi proposui. Aequi judices, quod obsecro, veniam non dedignentur opellae, quantulacumque demum sit. — *Stat pro ratione voluntas.* — Quod autem latino potius, quam alio idiomate usus sum, excusabit non solum ratio exercitiorum clinico-didascalicorum, quae eodem fiunt sermone, sed etiam desiderium, ut Acta palaestrae medico-practicae Ticinensis, Caesarum protectione et Antecessorum praestantia celeberrimae, ab exteris quoque gentibus legantur et noscantur. Neque carius certe Latii

filiis offerre potuissem donum, quam sermonis materni conservare jura.

Nosocomia et Instituta clinica commodissimam ac summe idoneam praebere occasionem, pro observationibus practicis et animadversionibus epicriticis instituendis, — dummodo observatoris mens ab omni factionis studio et hypothesium cupidine immunis maneat, — nemo sane inficiabitur. Ibi gravia naturae oracula sonant; ibi curiosorum ingenia doctrinis ex illimi fonte petitis delectantur et aluntur. Singularem ideo laudem sibi promeruere illustres Clinici, Sylvius de la Boe, Boerhaavius, De Haen, Stoll, Stoerk, Borsieri, Johannes Petrus et Josephus Frank, Valent. ab Hildenbrand, Reil, Brera, de Matthaeis, Erdmann, aliique plures, quorum intemeratae observationes locupletissimum largiuntur medicinae thesaurum, — quorum maturae reflexiones utilissima pro extruendo aedificio scientifico subministrant elementa, — quorum exemplaria, per quantum vires sinunt, sequi ac imitari conabimur.

Spernimus methodum, quam neoterici quidam scriptores in commentariis clinicis sunt amplexi; illam utpote, qua futilium hypothesium discussionibus, nullius valoris subtilitatibus atque sophismis, propriae praxeos putida laude, aliorum vituperio, ac fatuis morborum millies descriptorum historiis patientes pagellas implere student. Nonnulli plane praeceptores, — heu! piget effari, — propria divendunt jura, propriasque observationes et ephemerides clinicas medico adjutori, vel discipulis exarandas committunt. An modesta ἀνεπιτηδειότητος καὶ ἀφυΐας conscientia, an astutia, an censurae metus, an studium vitae lenis, laborumve impatientia ejusmodi indignam consuetudinem introduxerit, difficile dictu! — Hujus jam generis scribae nullum aliud sane generi humano adferunt emolumentum, nisi quod regnanti

polygraphiae, vel dicam potius graphomaniae genio patrocinando, chartae promoveant consumationem, typographorum prela ab edaci tueantur rubigine, atque bibliothecarum farraginem adcumulare juvent. Quare nostra erit cura, ne taediosis morborum diariis et descriptionibus, atque inutili argumentorum tritorum ruminatione benevoli lectoris patientia abutamur.

In exercitiis didascalicis ad lectum aegrorum sedulo vitamus, immo de industria silentio praeterimus neotericorum figmenta et dominantium quarumdam Scholarum dogmata, praesertim illa, quae vel dolosa seducunt simplicitate, vel ad certum quemdam universitatis gradum jam adulta, Medicinae eclecticae interitum minantur. Summe detrimentosum esse arbitramur, discipulorum mentem, solidioribus doctrinis, ac veritatibus inconcussis occupandam, indigestis et non raro frivolis theorematibus gravare et confundere, animumque juvenilem, ad novitates alioquin pronum, ab antiquae et sacrae veritatis calle detorquere. — Vix unquam pro junioribus medicis praesenti aetate periculosior extitit, ob tantam theoriarum et logomachiarum, quibus artis Antesignani inter se dimicant, vicissitudinem. Plures enim hodierno aevo videmus Logodaedalos atque Sophistas in medicina, qui futilibus concertatiunculis altercant, oleum perdunt, fucos venditant, et inani verborum strepitu suam potius infantiam declarant; licet buccis inflatis salem philosophorum, et πανχρηστον invenisse superbiant, seque veluti Redemtores corruentis scientiae tuba grandisona divulgent. Isti dualismum dynamicum pro morborum natura revelanda, et salutis portu rite capiendo securissimam pyxidem nauticam esse proclamant; — illi cloacam gastro-entericam inflammatam in quovis malorum genere criminantur, hominumque salutem excidio hirudinum tuentur; — alii homoeopathiae captiosas leges

pro aris et focis defendunt; — denuo alii morbiferos cacodaemones indiscriminatim remediis purgantibus exorcizant, perque anum expellunt. — Sub tanta opinionum discrepantia cuinam litare? quem sequi? — Cunctis auscultare, rationi repugnaret; unius vero alteriusve sententiam amplecti velle, reliquorum contemtum excitaret; neque facilis labor foret, neque gratum opus, densissimam collucare sylvam errorum. In arenam adeo limosam descendere caveant omnes, in qua plurimum opprobrii, honoris nihil quaerendum esset. Oh! quanto volupe magis, aquam ex fontibus limpidis haurire, quam turbidos sectari rivulos! — Quare melius est, ephemeras illas eclipses medicinae non noscere, quam earum tenebris coecari.

Nolim tamen, quis putet, velle me iniquo animo Theoriam, tanquam rem inanem, nauci facere, vel prorsus spernere; illam enim semper magni habui et habebo, qua nimirum si careret ars medica, manca esset atque imperfecta. Spiritus humanus suapte natura rationes quaerit;

. . . . Sic veterum stetit
Secura fama, sic praeivit
Hippocrates, meruitque coelum.

Sed ea solum mihi mens est, ut ostendam non esse Theoriae unde tantum se efferat, ut supra Praxin dominatum sibi deberi existimet, et illi praeire velit, cujus vestigia olim pressit, et cui semper fasces submittat, oportet. Longe diversum est ratiocinari, atque operari. Exultet, quantum lubet, Theoria, sibi plaudat, et vires suas ostentet; in Praxeos vero fines transfusa sibi temperet, et agnoscat, qualis in ea provincia hospes illa sit, et quanto temporis impendio constet fidelis et solidae practicae acquisitio. — Duo sunt praecipui medicinae cardines, ait Baglivius, ratio et observatio; observatio tamen est filum, ad quod dirigi

debent medicorum ratiocinia. Ast etiam in hocce opere maxima circumspectione procedendum. Philosophari quidem necesse ac perutile esse credo; sed cum Neoptolemo illo, paucis, ne hypothesium blandimentis a justo rationis tramite detorqueamur. Verus itaque Practicus totus operosus esse debet, et mente, et manu Naturae librum consulens, ut exinde ad agendum non minus, quam ad dicendum atque docendum instructior et paratior esse valeat. Theoria et Praxis, hae binae doctrinarum medicarum rectrices, simultatibus sepositis, sincerum inter se ineant foedus, et sociale ex aequo regimen exerceant.

Casta observatio ad lectos aegrorum quidem semper et ubique purissimum largitur cognitionum medicarum fontem, tutissimaque suppeditat elementa, quibus superstruere ratiocinia, ut moles per se rudis in philosophicam efflorescat scientiam; — in ipsa vero theoriarum constructione solum naturae, tam humanae, quam universae, studium sacram praebet ancoram. Nisi Physiologia face praeeat benefica, theoremata et consectaria semper quid ambigui, ac dubii habebunt. Leges vitae sanae necessario et normas pro vita anomala, sive morbosa exhibere, ecquis non perspiciet? Homo, qui totius universi particulam constituit, etsi perexiguam tantum, iisdem gubernatur ac in aeternum gubernabitur legibus, quae macrocosmi existentiam tuentur. Quam ob rem incassum perscrutari tentabit *partis* phoenomena, qui prius non cognoverit naturam *totius*, hujusque ad illam *relationem*.

Si verum est, quod *partis majoris*, vel plurium saltem portionum in concreta unitate consideratarum intuitus facilior sit, — quod phoenomena, quo magis universalia adparent, eo tutius ad cognitionem causae generalis conducant, atque reciprocam *partis* cum *toto* harmoniam in spatio et tempore tanto securius eruere

sinant, — quod demum semper major in genus humanum redundet utilitas, si calamitates universales prae angustiis domesticis et privatis medici philosophi adtentionem excitant; — tunc etiam nulli amplius obnoxium esse potest dubio, observationem *Epidemiarum et Morborum epidemicorum* princeps constituere objectum, quo nullum magis desideratur in re medica, hodierno autem aevo, proh dolor! fors nullum excolitur minus.

Constitutionum epidemicarum causas, geneseos modum, naturam, periodos, etc. perquirentis, irritum redderetur tentamen omne, nisi naturae universae studium necessaria suppeteret adminicula; hinc prae caeteris *Climatologiae*, atque *Meteorologiae* sphaeram ingredi oportet. Tellus ejusque atmosphaera cunctis entibus praecipua subministrant pabula, quae pro varia circumstantiarum ratione nunc vitam et salutem, nunc morbum et mortem adferunt. « *Per quae vivimus et sani sumus, per ea etiam aegrotamus.* » Hippocrat. — At neque praetereunda illa *Cosmologiae* pars, quae rhytmicum universi ordinem, eique correspondentia vitae humanae phaenomena in tempore docet, phases utpote annuas, menstruas, diurnas, vitae stadia, evolutionum rationes, diathesium vicissitudines, etc. Tandem praecipuam in doctrinis medicis expoliendis utilitatem sibi vindicat comparativus intuitus hominis aliorumque entium organicorum, vegetabilium et animalium, tam in statu vitae et salutis, quam in statu aegritudinis et mortis. Hisce ducti principiis saepe saepius in vastissimum illum descendere cogimur cognitionum physiologicarum Oceanum, quem neoterici, praeeunte incomparabili Treviranο, *Biologiam* appellant. — Ubicunque particularia, ad hodiernam usque diem nondum satis explicita, phaenomena nostrae sese objiciunt observationi, rationem quaerere non omittimus, inductionis et analogiae tramitem sequendo, nostramque, qualis-

cunque demum sit, opinionem plausibilibus argumentis suffultam intertexere non haesitamus. — Quum errare humanum sit, neque nos ab omni menda alienos esse, credimus, idque candide confitemur. Quare praeconceptas ideas, licet propriae arrideant menti, toti literatorum reipublicae veluti inconcussas veritates obtrudere velle, aeque vituperabile censemus, ac in errore perseverare. Theoremata medica eousque jure civitatis priventur, necesse est, donec unanimi plurium et valentium peritorum voto sancita fuerint. Lubenti ideo animo aliorum consilia et judicia exoptamus, ad emendandas et perficiendas opiniones semper parati.

Adumbratis brevi calamo potioribus, quae nos in observando, docendo et scribendo regunt, rationibus, haud incongruum esse existimavimus internam Instituti clinici conditionem, atque methodum didascalicam, qua ad lectos aegrorum utimur, praemittere, antequam ad ipsa resultata particularia observationum clinicarum transeamus. His autem ubique meteorologicae variationes, ceu palmaria epidemiologiae basis, antepositae invenientur.

In Nosocomio civico Sancti Mathaei Pietatis Papiae, civium nobili et generosa liberalitate anno 1451 erecto, et quidem in ea alae septentrionalis parte, quae Universitatis adtingit aedes, hasque cum illo januae ope conjungit, duo extant conclavia, lucida, alta et spatiosa, clinicis exercitationibus dicata, quorum unum tempore Tissoti, alterum sub auspiciis Petri Frank aedificatum fuit. Utraque aula, novem lectis instructa, ac proinde totidem diversi sexus aegrotantibus recipiendis idonea, cellam sibi adnexam habet exiguam, ut occasione jubente infirmi delirantes, inquieti, putidi, aut contagioso morbo infecti separari possint. Tertius oecus in eadem cum prioribus contignatione

situs, pariterque amplus, hyberno tempore praelectionibus in pathologiam et therapiam specialem inservit, aestivis diebus feminas convalescentes recipere sinit.

Praeter sexdecim fenestras, partim versus Septentrionem, partim versus oppositam coeli plagam directas, plura alia spiracula requisitam aëris puritatem conservare juvant. Dum bruma saevit, temperiei aequabili, quam tamen nunquam 10 gradibus thermometri Reaumuriani majorem esse volumus, fornaces prospiciunt figulini, eum in modum constructi, ut simul potubus et cataplasmatibus excalefaciendis inserviant.

Duo Adsistentes, alter Medicus, Chirurgus alter, unacum adaequato famulitii numero necessarias aegris ferunt suppetias. Medicus auxiliarius invigilat, ut dispensatio victus et medicamentorum praescriptis respondeat, ut debitus in toto instituto rerum ordo ac summa mundities servetur; studiosam juventutem in conscribendis morborum historiis dirigit, ac utilibus exercet repetitionibus. Tempore institutionis clinicae professori adsistit; vespertinas contra visitationes ipse exequitur, cunctis rebus diu, noctuve necessariis prompte succurrit, ac viduatos lectos novo adimplet aegrotantium numero.

Insuper feminarum curae praeest una e Sororibus monasticis, quas passim *Dedicatas* compellant. Existit quippe jam ab anno 1451 intra nosocomii moenia philanthropicus Virginum coetus, curationi aegrarum, linteorum custodiae, aliisque muliebribus ministeriis destinatus. Interiisset cum fatis volventibus benefica haecce societas, ni Regimini provido meis annuere precibus placuisset. Anno 1819 secuta restauratione, paucae sorores superstites pristinam, quam sine causa deponere cogebantur, denuo induebant vestem religiosam, pluresque novae, piam premere cupientes semitam, eodem solemni ornabantur amictu. — Quae in

aegros redundant a mulieribus obsequiosis, castis, benignis, comibus et piis, beneficia, Sacri codices jam ad unguem indicarunt: « *Ubi non est mulier, ingemiscit aeger.* » (Eccles. 36) — Hisce verbis benemeritus Fr. Dominicus de Catalaunia, Ordinis Concionatorum, Statuta orditur mulierum dedicatarum hospitalis S. Matthaei Papiae, Calendis Novembris A. 1451 compilata, atque A. 1760 jussu venerandae Congregationis typis edita. Dedicatae illae, nullo castitatis, aut perpetuae morae voto vinctae, monasterio valedicere, immo et matrimonio jungi possunt. Ex declaratione Sacrae Congregationis Cardinalium super Concilium Tridentinum eo quoque potiuntur privilegio, quod non comprehendantur in Bulla a Sanctissimo Pontifice, Gregorio XIII., 30 Decembris A. 1572 edita, ac proinde a Ministro non ecclesiastico, Directore utpote ipsius Nosocomii gubernentur.

Quidquid usui aegrorum clinicis aedibus receptorum necesse est, supellectilia, victum, pharmaca, famulitium, etc. Nosocomium suppetit absque ullo compensationis jure. Cessit enim anno 1782 munificentissimus Imperator JOSEPHUS II., — venerantur saecula nomen, — Nosocomio Ticinensi praedia suppressi Carthusianorum coenobii ea sub conditione, ut Scholae clinicae utrique, medicae et chirurgicae, omni re succurrat. Non abutimur tamen summa hacce generositate Caesarea; immo scrupulosam ubique tuemur et commendamus oeconomiam, dummodo in aegri non redundet detrimentum, vel instituti dedecus.

Ab illo inde tempore, quo Nosocomium existit, non solum civibus egenis urbis Papiae, sed etiam accolis praediorum urbem ambientium, et quidem totius ejus territorii, quod ante annum 1743 nomine Principatus Papiae insigniebatur, hospitium praeberi solebat, quae consuetudo inveterata ad hodiernum usque diem conservatur.

Concurrunt itaque ad valetudinarium Ticinense: 1. Aegri urbis et vici contermini (Borgo Ticino), quorum tamen semper minimus est numerus; 2. Aegri potioris partis Provinciae urbi adgregatae, quae extremam Langobardiae austriacae constituit partem; 3. Aegri Laumellinae inferioris, limitrophi Pedemontii trans Ticinum partem efficientis; 4. Aegrorum haud pauci, qui e collibus Ultrapadanis, Status pariter Sardoi, adveniunt.

Licet Nosocomium, plusquam tercentis instructum lectis, intra annum ultra quatuor millibus aegrotantium asylum praebeat; nihilo tamen minus sub tanta beneficentiae extensione cunctis opem implorantibus recipiendis impar esset, nisi introitus determinatis vincatur praescriptionibus. Ideo nonnisi egenos, et morbis acutis, vel saltem non absolute insanabilibus adfectos admittere, sancitum est.

Sufficientem igitur pro Schola medico-practica thesaurum jam in ipso Nosocomio extare, abunde liquet. Quapropter medico adsistenti incumbit munus, quotidie aegrorum pervadere aulas, ut cunctos in Clinicam transferri curet casus pro exercitiis et demonstrationibus practicis opportuniores, Professoris invocando consilium, ubi ambiguitas judicii subesset. Seliguntur prae aliis aegri Nosocomium vix ingressi, ne diutius ibidem commorantium cura, jam ab alio medico inchoata, interrumpatur. Cum vero plurimum interest, ut tyronibus etiam chronica proponantur mala (quibus in Nosocomio curandis obstant statuta), clinico professori concessum est arbitrium, illos pariter admittendi aegrotos, quos Nosocomium recipere recusat, dummodo pauperes sint, vel justum contribuant, si solvendo pares.

In exordio cursus scholastici praeferimus morbos simplices, recentes, acutos et claros, qui nempe totam offerunt symptomatum pathognomicorum seriem, ac

regularem tenent decursnm, sive demum leves, sive graves fuerint. Tali ratione tyronibus longe minores in cognoscendis, intelligendis et observandis morborum formis occursant difficultates. Pedetentim ad casus magis intricatos, anomalos, occultos, ambiguos, complicatos et chronicos transimus, qui jam majorem postulant in officio clinico rite adimplendo dexteritatem, oculumque experientia armatum.

Non inficiamur equidem, gratam semper nobis esse opportunitatem aegritudinis cujusdam rarioris, nunquam tamen de industria earum facere consuescimus venaturam. In sedula observatione, atque recta cura morborum quotidie occurrentium maximam reponimus utilitatem, cum etiam in vulgaribus non omnia vulgaria sint. Idem quoad naturam et formam morbus tot offert modificationes, et physiognomias, quot individua prehendit.

Quatenus inter morbos vulgares et quotidianos epidemici, atque endemici sunt creberrimi; eatenus omnium lubentissime a nobis in Clinicum deferuntur; illo quidem etiam intuitu, quod ingenium constitutionis epidemicae cognosci et determinari nequit, nisi plura et contemporanea pateant exemplaria. Tali pacto introducimus tyrones ad rectam observationem illorum effectuum, quorum causae in summe universalibus delitescunt metamorphosibus, telluricis aut cosmicis, periodicis, exlegibus, transitoriis, perennibus, ad spatium vel tempus referendis. Quamprimum igitur aliquod morbi genus insolita occurrit frequentia, vel vero determinata morbi forma evidentem characteris permutationem pari tempore in pluribus individuis ostentat, — phaenomeni rationem in mutatis rerum et elementorum nos ambientium conditionibus, vel in topico quodam morbifero fonte investigare studemus.

Vix gravius in medicina practica habetur argumentum,

quam illorum morborum cognoscere originem et rectam medelam, qui in certis globi terraquei plagis veluti perennes agunt radices, vel qui aeterno circuitu singulis non modo individuis, sed integris populis, ne dicam toti generi humano insidias struunt, et quibus evitandis nulla saepe valet ars, nec unquam valebit, quousque homo, ceu pars telluris, legibus naturae universae et caducae existentiae succumbit, in vastum toties sine culpa projectus fatorum volventium gurgitem. Tanta autem est objecti dignitas, tantaeque in ejus pervestigatione adsurgunt difficultates, ut iis superandis nec unius hominis, nec unius aevi opera sufficiat. Quare omnis aetatis observata florilegae apis instar colligere, atque e ditissimo hocce sedulitatis antecessorum cornucopiae solidiora elementa excerpere, necesse est, ut inde scientificum *Epidemiologiae* aedificium exurgere queat. Ideo nil nobis sanctius, quam sublimia Hippocratis, Sydenhami, Ballonii, Baglivii, Lancisii, Huxhami, Stollii, ac optimi Parentis exempla religioso prosequi cultu, discipulosque nulla die relicta ad imitationem exhortari; medicina enim non ingenii humani partus est, sed experientiae filia, omnisque doctrina, nisi e casta et repetita observatione deducatur, vana et perniciosa existimari debet.

Non abhorremus casus graves, sonticos, conclamatos, et insanabiles, immo specimina similia saepe saepius ex industria quaerimus, ut optata tyronibus suppeditetur occasio, cunctas generis humani calamitates cognoscendi, incredibilem naturae, vel artis efficaciam admirandi, miseram patientium sortem leniendi, inevitabile fatum praesagiendi, hujusque causam in rimato cadavere intuendi. Parum nobis interest (salvo semper denatorum planctu), qualis sit in clinico instituto mortalitatis proportio; nec unquam optimam illam declarabimus scholam, quae nulla, vel pauca numerat

funera. Sufficit talem aegris praestitisse curam, cui aequi judices et propria conscientia nihil objicere valet. Certe nemo sanae mentis publicum, et ab omni phantastica medicina alienum praeceptorem criminabitur, experimenta per mortes civium fecisse. Quam interdum virulentus livoris et maledictionis, ac nulli virtuti parcens aculeus polluere, atque adulterare tentat, veritas, ocyus seriusve refulget.

Primum exercitium clinicum, inchoante anno scholastico, semper unico ordiri solemus aegroto, quavis demum die novum addendo, ne plurium intuitu adtentio tyronum distrahatur, atque mens objectorum multitudine obruta confundatur. Quin immo, non omissa etiam hacce in primis lectionibus circumspectione, praescriptum horae spatium non sufficit, ad totum, quod medico penes lectum aegrorum docenti incumbit, munus debita cum adcuratione absolvendum. Pedetentim aucto aegrorum numero facilior et securior redditur observatio, non minus quam praeceptorum explanatorum intelligentia. Discipuli, qui praxi medicae se accingunt, et praesertim illi, qui limina scholarum theoreticarum vix sunt egressi, ex adcurata, strenua et concentrata paucorum casuum observatione longe utiliores fructus carpunt, quam ex levi et superficiali plurium adspectu. Quare illis Nosocomii frequentationem eousque interdicimus, donec exercitio et praeliminaribus notionibus probe digestis necessarium in observando facultatem, ac aliquam saltem in dignoscendis aliorum erroribus aut praestantia firmitatem sunt adepti. Qui ante tempus nosocomia veloci passu pervadunt, juvenili curiositate adlecti, *multa* quidem, sed non *multum* videbunt.

Quotidie hora octava matutina, ne diebus quidem festis exceptis, lectum aegrorum accedimus, adstantibus ultra centum discipulis, qui absoluto curriculo

trienni studiorum theoreticorum ad praxin clinicam admittuntur. Quemvis aegrum speciali observationi cujuspiam candidati committimus, ut exactas, ab initio usque ad finem curae, colligat ephemerides, quod quidem officium omnibus et singulis Hygeae delubrum adeuntibus ad minimum bis in anno incumbit. — Ordinationes vespertinas, ut supra notavimus, exequitur medicus auxiliarius, qui in ipso Nosocomio habitat, ut etiam nocturnis horis, si quid acciderit, promptum ferre possit auxilium.

Praemisso examine aegri exactissimo, atque corrasis, per quantum licet, momentis anamnesticis, causis et symptomatibus, ad morbi *diagnosin* accedimus, quam in principio cursus clinici fusiori sermone explicamus, serius autem ipsis discipulis enucleandam relinquimus, consiliis et correctionibus succurrendo. Ut autem in arduo hoc negotio titubantes tyronum gressus tanto securius dirigantur, ad sequentia momenta praecipuam convertimus adtentionem.

Palmarium diagnoseos adminiculum suppeditat *semiotice*. Stat vero difficultas in recto symptomatum essentialium et accidentalium discrimine; morbi cognitio enim nonnisi e prioribus erui poterit. Vix tutiorem hoc respectu viam noscimus, quam: 1. ad qualitates sensibiles organismi a norma deflectentes; 2. ad manifestationem vitae, sive functionem eminenter laesam, et 3. ad passionem ab aegro adcusatam, mentis dirigere intentionem. — Verum quidem est, tali ratione saepe nil, nisi morbi substratum et formam, sive morbi schema, quod πάθος compellarunt Herophili, innotescere. Haecce tamen notio jam sat firmum largitur fulcrum, atque amussim non ambiguam pro eruenda morbi essentia, sive conditione pathologica, ut quidam neoterici dicere malunt. Postquam determinatum fuerit *materiale morbi substratum*, — quo intuitu physiologicae

partitioni in totidem systemata organica majorem sane tribuimus valorem, quam anatomicae partium distributioni; — postquam simul innotuerit, quaenam vitae manifestatio a normali aberret tramite (an processus plasticus, conditio materiae organicae, motus, sensus, quales horum modificationes?), unde *morbi forma* declaratur; procedimus ad eruendam et indicandam rationem et speciem deflexionis abnormis, quo ipsa constituitur *morbi natura*, sive *essentia*.

Quemadmodum morbi forma, et substratum ex solis patefiunt symptomatibus, computato ad summum atrio; — ita ex adverso essentiam morbi quivis incassum expiscari tentabit, ni praecipuum habeat dispositionis in aegro et speciatim in organo adfecto latitantis, causarum efficientium, atque nosogeniae respectum. Quare, ut ad lectum aegrorum de diagnosi recte instituta persuadeamus, eamque, si necesse est, solidis innitamur argumentis, ipsam morbi constructionem, sive genesin, probabilem aut certam, subnectimus, generalia praecepta et placita physiologica, aetiologica atque pathogenetica individuali casui adaptando.

Sub enormi illa farragine, quam innumerae morborum varietates offerunt, insuperabilia operi diagnostico se se opponerent impedimenta, nisi certus quidam ac determinatus ordo, omnium rerum anima, observetur. Hunc in finem nobis adjumento sunt *Tabulae nosologicae*, Anno 1820 typis exscriptae, in Instituto clinico unacum systematica medicamentorum synopsi appensae, quas candidati lubenter consulunt in morborum et remediorum classibus, ordinibus, generibus, atque speciebus facilius inquirendis.

Non acquiescimus autem in sola determinatione generalis morborum physiognomiae, eorumque indolis generalis, verum etiam ad *summe particulares circumstantias* descendimus, si fieri licet; istis enim neglectis

claudicant indicationes therapeuticae, atque insufficientes plerumque manent medici curae. Hancce nostram methodum diagnosticam exemplum clarius dilucidabit. — Oppressio pectoris, anxietas, dyspnoea, tussis; en phaenomena, quae nos de substrato morbi in organis spiritalibus, speciatim in *pulmonibus*, atque de praevalenti passione convincunt, talique pacto *generalem morbi formam* indicant; PNEUMONOSIS. — Comes turgor vitalis, orgasmus, thermopoësis aucta, pulsus pleni, frequentes, duri, fortes aut suppressi, sanguinis educti plastica conditio, atque stimulus praegressus morbi *indolem generalem* evincerent, quippe *inflammatoriam*; ergo est phlogosis in pulmone, seu PNEUMONITIS. — Cephalaea frontalis, coryza, sensus titillationis tussim provocans, et sputa muculenta nullum relinquerent dubium, *membranam muciparam* pulmonum *speciale* largiri *substratum*, unde *morbi forma specialis* determinatur; PHLEGMHYMENITIS PULMONUM. — Refrigerium tandem aestuante corpore incaute exceptum, siccitas cutis, calor mordax, febris comitis exacerbationes et remissiones luculentae, secretio muci vitiata, et absentia indiciorum cujusdam contagii, *specialem* vindicarent morbi *naturam*, e particulari geneseos ratione depromtam, quam practici epitheto CATARRHALIS insignire solent. — Ergo per passus constructa haberetur diagnosis PNEUMONITIDIS CATARRHOSAE, sive PHLEGMHYMENITIDIS PULMONUM PSYCTICAE. — Quodsi adhuc morbi gradus et stadium, fortuitae complicationes, vel anomaliae declarentur, totum diagnoseos opus perfectum dici potest.

Peculiares seorsim enucleare velle regulas, quas secundum varietatem morborum febrilium, cachecticorum, nervosorum, etc. in opere diagnostico ad lectum aegrorum mox analytico, mox synthetico observare et sequi oportet, a praefixa me nimis detorqueret semita;

quare eis de industria supersedeo, opportuniori occasione in medium proferendis.

In morborum *nomenclatura* maximam circumspectionem observare studemus, ne nominibus ineptis erroneos excitemus conceptus, eorumve copulis absurdis, aut falsis etymologiis grammatices vel logices principia laedamus. Nomen, quatenus objecti simulacrum constituit, nisi adaequatum fuerit, facillime rei intellectum confundit, pervertit, delet. — Praedilectae nobis voces sunt illae, quae claram rerum ideam exprimunt, et quae inprimis supra notatos diagnoseos cardines ad unguem indicant, videlicet: passionem praevalentem, functionem vel qualitatem organismi sensibilem a norma aberrantem, morbi substratum, causas efficientes, vel essentiam. Inveterata consuetudo et auctoritas antecessorum quibusdam nominibus exterminandis obstat; nequaquam vero ridiculas et rationi adversas vocum conjunctiones, quae teretes facile offendunt aures, evitare vetat, uti essent: ophthalmitis arthritica, colica hepatica, inflammatio asthenica, paralysis hypersthenica, spinitis, mentagra, etc. — Vastitas scientiae medicae indies crescens, atque novos conceptus exprimendi necessitas, nova saepe creare jubet nomina, quibus idiomate graeco nullum magis satisfacit. — Ex pariete, cui aegrorum lectuli innituntur, pendent tabulae ligneae, nigro tinctae colore, quibus morbus creta inscribitur.

Discussis cunctis momentis, quae morbi diagnosin et rectam denominationem spectant, ad alterum transimus clinicae encheireseos officium, quippe ad enodandam *nosazologiam* (*νοσαζω*, aegrotum reddo) et *nosogeniam*, sive morbi originem et originis modum. — Dispositio aegri, atrium morbi, causae efficientes, harumque super organismum vivum agendi ratio, prae-

cipua sistunt objecta, quae illo intuitu medentis merentur adtentionem.

Qui perpendit, sanationem nihil aliud esse, quam processum nosogeniae oppositum, — hujus notionem exactam, ut congrua opponi possit medela, in omnibus et singulis casibus absolute necessariam esse, facile concipiet. Ejusmodi disquisitio nosogenetica, dummodo mente dirigatur a quovis praejudicio libera, unicum suppeditat medium, quo interaneas organismi aut virium metamorphoses, morborum essentiam constituentes, etsi non ubique cum apodictica certitudine, majori tamen probabilitatis gradu illustrare licet. Immo in casibus dubiis cujusdam labis occultae, vel adfectionis organorum profunde reconditorum et minus nobilium, in quibus plerumque manca esse solet semiotice, per hancce unice viam morbi substratum conjici poterit; praesertim si ad causarum indolem, adplicationem, et adfinitatem specificam cum certis organis, nec non ad sympathicas et antagonisticas relationes illius systematis organici, illiusque organi, quod atrium praebuit, praecipua convertatur adtentio. Nosogenia igitur non solum ad confirmandam diagnosin formae et naturae morborum princeps offert praesidium, sed etiam pro stabilienda therapia rationali tutissimam sternit viam. Ubi nosogeniae ratio non inclarescit, empiricorum remediorum implorandae sunt opes. Ubi nosogeniae oppositum processum inducere, v. g. perdita resarcire, peregrina eliminare, coalita sejungere, sejuncta conferruminare non licet, palliativae tantum curae conceditur locus.

Prioribus non minus salebrosum, quod medici clinici munia respicit, argumentum, est morbi *cura*, quae pro casus varietate in directam et indirectam, rationalem et empiricam, vitalem et symptomaticam, radicalem et palliativam a practicis merito dispecitur.

Ante omnia vero ad aegrorum lectos explanare studemus *indicationes therapeuticas*, quarum regulae et praecepta propriam constituunt doctrinae medicae partem, a neotericis *Jatreusiologiae* (ιατρευω, medeor, λόγος doctrina) nomine insignitur. « Prima praxeos fundamenta, inquit Baglivius, sunt indicationes, quibus » detectis remedia facillime depromuntur e medicinae » penu; etsi quid majori correctione indiget in praxi » medica, jure merito sunt ipsae indicationes, quae » falsis saepe innixae hypothesibus, ad damnosam ducunt therapiam. » Princeps medentis scopus esse debet, precisam acquirendi cognitionem omnium illarum mutationum, quas in organismo aegro provocare oportet, ut iste in sanum converteretur, et quae denuo nonnisi e cognitione naturae morbi, et rationali nosogenia inclarescunt, spretis sophistarum insomniis. Nosazologia igitur, atque Jatreusiologia scientias praebent sibi e diametro oppositas, vel si dicere licet, unam eandemque doctrinam, polis inversis consideratam, quatenus morbus secundum eadem principia, quibus construebatur, destrui debet.

Postquam decisum fuerit, quid in dato casu faciendum aut omittendum sit, *Jatrotechnices* aperitur campus. Deliberamus nunc circa media, quibus processus sanationis introduci poterit; ergo circa methodum, ut ajunt, curativam, et singula, quae ei correspondent praesidia e variis foris deprompta, atque evertendis mutationibus morbosis adprime idonea.

In delectu *pharmacorum* praeferimus vernacula, simplicia, paratu facilia, quae cum viliori pretio desideratam copulant efficaciam, annosis experientiis medicorum corroboratam. Nostra penus medicamentosa adeo circumscripta est, ut, praeter althaeam, sales medios, herbas, et extracta amara, sambucum, dulcamaram, sennam, rheum, oxymel, squillam, cantharides, sti-

bium, mercurium, camphoram, opium, et cinchonam, quae arma nobis praebent quotidiana, paucis tantum egeamus remediis, iisque nonnisi in rarioribus casibus, ac in simplicissimas formulas redactis utamur. Pulchre profecto hoc argumentum pertractavit amicus mihi semper dilectissimus, ac nulla oblivione delendus in Pieridum castris commilito, Georgius Rosa (Diss. de luxu in medicamentis. Viennae. 1812.), sequentia in calce opellae subjungens verba: « Quemadmodum nec » Typographis tot literis est opus, quot verba imprimenda, nec Pictori tot coloribus, ac penicillis, quot » imagines pingendae: ita nec Medicis tot medicamina » sunt necessaria, quot morborum nomina. » Pauca igitur et efficacia, vernacula et certa, simplicia et levibus comparanda sumptibus, suo tempore, ac debitis modis data satisfacient et aegrorum valetudini, et Artis perfectioni, et Medici honori. Si per saeculorum scalas ascendimus, observabimus, medicinam paucarum herbarum fuisse scientiam, medicamina vulgaria et paratu facilia, quibus tamen sanitas amissa revocabatur, et revocata in longam annorum seriem protrahebatur. Pergamus ad illa tempora, ubi Medicina artis scientificae formam induit, ac denuo summam medicaminum simplicitatem inveniemus. Feramus pedem ad propiorem aetatem, et excitemus Thomam Sydenhamum, qui intime persuasus fuit, artis medicae pompam non tam in formularum concinnitate, quam in morborum curatione cerni. Salutemus Fridericum Hoffmannum, et videbimus in ejus operibus plura remediorum simplicitatis laudatae testimonia; inter caetera ait: » qui » simplicissimis herbis, flosculis, et radicibus curat, » omnium felicissime medetur. » Addamus denique Boerhaavium, Swietenium, ac praesertim Haenium, qui missis magniloquis et vaniloquis formulis, totum se con-

secravit simplicibus et vernaculis, quae vetustas cognovit; neglexit posterior aetas, ex oblivione suscitandis.

Laudamus equidem medicorum industriam in detegendis praesidiis novis; contemnimus vero nimiam clinicorum quorumdam facilitatem promptuarium pharmaceuticum supervacaneis augmentandi, ac imitandi quidquid novi in ephemeridibus inveniatur. A publicis hujus generis experimentis eousque abstinemus, donec plurium practicorum voto utilitas inconcussa constet. Nostra sententia Scholae clinicae pro discipulis erudiendis, nequaquam vero pro ambiguis periculis instituendis inservire debent. Tyro nihil aliud videat, et discat oportet, quam quod solidis et replicatis jam exploratum habetur experientiis. Desperatos unice, ac communi medendi ratione insanabiles casus excipere vellem, qui ad ambigua quoque, incerta, immo et desperata remedia confugere permittunt.

Sub usu remediorum heroicorum summam semper inculcamus circumspectionem, praesertim si de substantiis venenosis agitur, quarum agendi ratio et virulentiae gradus nondum satis innotuere. Dissuademus contra nimiam timiditatem sub usu pharmacorum, quorum insufficientiam saepe saepius unice medentis in augendis dosibus oscitantiae adscribendam esse credimus. Hancce opinionem tuemur e. g. relate ad usum squillae, tartari emetici, digitalis, et muriatis barytae in determinatis morborum formis; prudens medici audacia in subministrando efficaciam mirum in modum acuit.

Pharmacopolium Nosocomii, a praeclaro et peritissimo Chymiae Professore, FRANCISCO MARABELLI, directum, omnia suppetit medicamenta, quae clinicis inscribuntur schedis; nec aliquid circa eorum qualitatem, praecisam praeparationem, et promptam dispensationem optandum relinquunt. Ut qualiscunque evitetur lapsus, singulis phialis adpenditur formula medicaminis

contenti; insuper quivis lectus a latere praeditus est scheda, quae totam exprimit ordinationem, hujusque de die in diem secutas variationes. A candidatis aegrorum observationi et curae speciatim addictis plures libenter componere sinimus formulas, ut requisitam in pharmacocatagraphia adquirant dexteritatem.

Ne praesidiis pharmaceuticis major, quam merentur, potestas et fiducia tribuatur, omnes praescriptiones superfluas evitamus; immo febres haud paucas, praesertim simplices et leves, interdum solis committimus naturae viribus, ut tyrones summam earum in morbis pyreticis potestatem rite aestimari, ac venerari, simulque sanctam Hippocraticae doctrinae de crisibus, nullo tempore obliterandae veritatem acu tangere addiscant, quam scioli quidam moderni evertere incassum tentarunt.

Operationes *chirurgicas*, quatenus ad medicinae scopum concurrunt, uti phlebotomias, scarificationes, hirudinum et catheteris usum, paracenthesin, acupuncturam, etc. a Chirurgo auxiliario praesentibus discipulis fieri jubemus. Quamprimum vero majoris momenti encheireses requiruntur, aegros in cubile chirurgicum transferri curamus.

Unacum *regimine diaetetico*, etiam *curam psychicam* conjungimus, illis praesertim in casibus, ubi mens, aut animus aegrotat, insignes moderni aevi circa hocce objectum progressus imitando, ejusque merita debitis encomiis extollendo.

Praeter hosce quatuor foros Jamatologiae, videlicet: pharmaceuticum, chirurgicum, diaeteticum et psychicum, quintus adhuc nobis suppetit, quem *medicotechnicum* vocamus. Extant nimirum varia praesidia, partim therapeutica, partim lenientia, partim tutoria, *machinae*, *instrumenta*, *adparatus*, *utensilia*, quorum usus, utut determinatam quandam exigat encheiresin et dexteritatem, e foro chirurgico passim excludi, atque

medicorum peritiae committi solet; uti essent machina electrica, columna Voltae, acus et scopulae metallicae, Perkini ad mentem usurpandae, arca fumigatoria, media coërcendi delirantes, machinae pro sublevandis aegris debilibus, etc. — Prima hujus supellectilis rudimenta quidem jam posuimus; ulteriorem amplificationem a benefico Regimine expectamus, Instituti novi rationem et scopum unacum singulorum adminiculorum descriptione et usu suo tempore publici juris facturi.

Aegro cunctis, quae prompta et tuta medela postulat, elementis instructo, ad ultimum descendimus officium clinicum, scilicet ad *eventus futuri praesagium.* Discutimus singula momenta, quae salutis recuperandae spem alere sinunt, vel contra funesti exitus metu terrent. Evicta sanationis possibilitate, gradum verosimilitudinis majorem, minoremve indicasse sufficit, cum certitudo vix unquam habeatur. Argumenta depromuntur ab organi adfecti dignitate; a morbi vehementia, extensione, decurrendi ratione, atque natura; a subjecti aegrotantis constitutione et causarum efficientium indole; ab epidemiae dominantis ingenio; a medendi methodo prius adhibita, congrua, neglecta, vel plane perversa; nec non a quibusdam signis empiricis.

In quovis casu potiora enumerari solent posthuma, in quae determinata morbi species vel ex sua natura nititur, vel circumstantiarum lateralium causa abire posset, non omissis lethi modis communioribus. — Ubi de febrili agitur morbo, discipulorum adtentionem inprimis ad molimina et phaenomena critica convertimus, ut verum argumenti valorem cognoscere, omnesque circumstantias, quae salutem, aut mortem inducere possent, juste metiri addiscant. Si aegros febrientes, jam in limine Acherontis constitutos, raptim ac improvise salutis viam ingredi videmus, candidam nunquam praetermittimus confessionem, triumphum

medicatricibus naturae viribus deberi, atque artem nonnisi arma suppeditasse pro amovendis obstaculis, vel virium energia acuenda. Quemadmodum venerationem concitant observationes et praecepta Hippocratica de medicatrice virium organicarum in debellandis morbis febrilibus potestate, deque crisium doctrina eis innixa; — ita commiserationem cient illi medici, qui ad hodiernam usque diem, nescio an fraudis, an ignorantiae causa, qualemcumque prosperam morbi conversionem elatis superciliis propriae unice adscribere peritiae non erubescunt. Sed raro sapiunt Phryges!

Quidquid ad lectum aegri diligenti cura explanatum fuit, eodem ordine a candidato adsistenti in *historiam* redigitur, quae postridie coram adstantibus lecta non solum utilissimam praebet repetitionem, sed etiam circa secutas intra nycthemerum variationes edocet, cum solerter notari debeant quaeque acciderint nova. — Successivis diebus jam breviores evadunt dissertationes ad lectum, nisi dignitas casus ulteriorem admittat explicationem, vel status rerum variatus diagnosin primam modificare, medendi rationem permutare, atque prognosin aucto, vel imminuto periculo adaptare jubeat. Nunquam vero metamorphosium contingentium *rationem* addere omittimus, sive sola morbi forma, sive etiam natura et character mutationem subiverit, quibus in casibus amplus patet campus discrimina essentialia inter metaptoses, metastases, metachoreses, diadoches et palindromes explicandi, ac viam indicandi, qua ad lectum aegrorum dignosci possunt.

Convalescentium dimissioni eousque obstamus, donec, viribus debite refocillatis, recidivae, vel posthumi cujusdam evanescat metus. Tali pacto certior non solum redditur aegrorum sanatio, verum et ipsis discipulis propitia conceditur occasio, morbi decursum ab ovo ad mala observandi, et cunctas illas addiscendi regulas,

quae apotherapeusin, sive curam analepticam dirigunt; hac enim neglecta convalescentium sors rursus periclitatur. — Ejusmodi jam praecautione tanto magis opus est, cum plerumque pauperes clinicis excipi soleant aedibus, qui, domesticis carentes commodis, e Nosocomio vix egressi illico graves accedere labores, vel iisdem injuriis, unde morbum contraxere, denuo exponi coguntur.

Ob eandem rationem illos pariter in Schola clinica retinemus aegros, qui primitivo morbo devicto in *secundarias* incidunt *labes*. Harum diligens observatio non minores discipulis offert utilitates. Insuper de omnibus illis edocentur medendi rationibus, quae vel ad sequelas posthumas jamjam evolutas dissipandas, vel ad earum favillam in origine suffocandam usurpari debent.

Quos inexorabile fatum e medio rapit, aegri, etiam post *obitum* grave eruditionis medicae largiuntur objectum. Quare omnium in clinico Instituto denatorum cadavera rimanti subjiciuntur cultro. Haec extispicia coram tyronibus cum sedulitate possibili instituta, mox conjecturatam lethi causam in apricum proferunt, praemissamque diagnosin vindicare et corroborare juvant; mox vitiorum clandestinorum indicant praesentiam, quae vita durante nullam sui suspicionem excitarunt; mox etiam nihil prorsus sensibus obvium patefaciunt, nosque certos reddunt, solam virium jacturam invisibilem non minus, quam conspicuas organismi mutationes vitae tollendae pares esse.

Anatome pathologica, omnium primo a Bennivenio, Bonneto, et Morgagno insigni fervore culta, quam serioris et hodierni aevi extispices, Lieutaud, Portal, Bailly, Voigtel, Otto, et Meckel eminenter locupletarunt, summum medicinae practicae praesidium dici meretur. Non modo officium diagnoseos in casibus

analogis facilitat, et clariorem de vera morborum essentia conciliat ideam; sed etiam medici animum consolatur, perspecta mali absoluta insanabilitate. — Si quid memorabilis, aut rari offerant cadaverum pervestigationes, id in Gazophylaceo pathologico adservari solet, quod a Petro Frankio circa annum 1786 fundatum, ac sucoessivis annis notabiliter locupletatum, pulcherrimam recludit praeparatorum seriem, professoris clinici curis commissam.

Numerus aegrotantium intervallo anni soholastici Clinicis aedibus reoeptorum, qui persaepe ducentos longe superat, — si cum penu lectorum circumscripto comparetur, abunde testatur, nullum praetermitti studium, ut discipulis vastus pateat observationum et exercitiorum campus, desiderataque institutionis tam arduae opportunitas.

Cunctas morborum historias á tyronibus latino sermone conscriptas, quae totum decursum et medendi rationem usque ad momentum dimissionis aegri, aut mortis, ac in extremo casu ipsam necrosoopiam cum epicrisi complectuntur, scrupulose conservamus. Collegimus pariter non sine temporis jactura singula documenta, quae ad Clinioes Ticinensis originem, progressus, et fata speotant; addidimus tabulas meteorologicas, epidemiarum observationes proprias ephemeridibus junctas, atque prospectus nosologicos mensiles et annuos chronologica serie ordinatos; talique industria primum posuimus fundamentum hactenus desiderati *Tabularii clinici*, in perennem actorum memoriam.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATIVIS, ET ADVENTITIIS COELI TICINENSIS QUALITATIBUS, EARUMQUE IN POPULI SALUTEM IMPERIO.

Aureum eoquis non mirabitur magni Hippocratis monitum, quod in principio Libri, *de Aëre, Aquis et Locis*, sequentibus verbis extat: « Quicumque artem » medicam recte adsequi velit, primum quidem tem- » porum anni rationem habere debet, quantum po- » tentia quodlibet eorum valeat; dein ventorum, qui » in unaquaque regione sunt indigeni, et postea aqua- » rum. Quare si quis ad urbem sibi ignotam perve- » nerit, ejus situm cognoscat, oportet; etenim non » idem est, an ad Boream jaceat, vel ad Austrum. » Porro consideranda terra ipsa, nudane sit et ae- » stuosa, vel alta et frigida. Hominum insuper diae- » ta perquirenda, qua communiter utuntur; an biba- » ces, an lurcones et otio dediti sint, an potius » exercitii et laborum amatores, edaces aut abste- » mii. Nam qui haec omnia probe cognovit, aut ho- » rum plurima, eum neque latere poterunt, si in ur- » bem venerit, morbi regionis proprii, neque com- » munium natura, quaecumque demum fuerit, ita ut » non possit in iis cognoscendis et curandis dubius » haerere aut errare. » — Nemo itaque Clinicorum alicubi esse potest, vel mediocri fama celebratus, quin ante omnia loci, in quo se velit exercere, tum positionem et coelum, tum aquas et caeteras aëris et alimentorum qualitates, nec non vitae genus incolarum

probe cognoverit. De hujus rei gravitate intime persuasus, quum ad Ticini ripas adpulerim, Medicinam ibi facturus et professurus, inprimis mihi curae cordique fuit, ut adcuratam climatis notitiam acquirerem, sine qua obscura mansisset morborum vernaculorum et epidemicorum indoles, atque vanum conamen omne, rectam eisdem adcommodandi medelam. Non est mihi in animo plenam contexere Chorographiam physico-medicam, quam et propositi mei ratio vetaret. Juvabit duntaxat potiores presso calamo indicare Coeli Ticinensis qualitates, tam nativas, quam adventitias, quibus praemonstrantibus quadantenus intelligi poterunt conditiones saluti accolarum amicae, vel adversae.

A meridie Apenninorum ambages, quae flexibus immensis bicipiti veluti cornu in Apuliam usque sese porrigunt, a Septentrione gigantearum Alpium juga, quae Helvetiam, Comitatum Tyrolensem, limitrophasque Langobardiae ditiones spectant, summisque cacuminibus nubes scindunt, vastissimam illam, ac omnium rerum feracissimam amplectuntur convallem, quam Eridanus terrentibus percurrit undis, et cujus non infimam sane partem constituit *Ager Ticinensis*, a cognomine fluvio in Laumellinam trans Ticinum, et Campaniam cis Ticinum divisus. Vocitabant olim Principatum Papiae, cujus pars prior anno 1743 Pedemontio incorporata fuit, altera ad praesentem usque diem Langobardiae subjecta. Versus meridiem Pado circumscribitur; versus occidentem territorium Pedemontanum, versus septentrionem Provinciam Mediolanensem tangit, ac versus ortum per colles S. Columbani a Provincia Laudensi separatur.

Super mollem et semirotundum clivum ad laevam amnis Ticini, e Verbano lacu scaturientis, ripam moenia extollit antiquissima urbs, *Ticinum*, circa annum 454 post Romam conditam, ergo A. 300 ante Christum,

si M. Catoni, T. Livio, et Plinio fides habenda, a Laevis Liguribus aedificata. Nomen a lambente flumine mutuatum post urbis excidium, quod ab Odoacre Rege A. 472 aerae christianae passa est, annuente Episcopo Epiphanio cum illo *Papiae* commutatum fuisse legitur. Utrum inde italicum *Pavia*, an quia *Padi via*, decidant etymologi. Celebris quondam Regum Langobardiae Metropolis, numerosis iisque altissimis turribus superba, Romanorum exemplo ad solam nobilitatis et possessionis ostentationem extructis, unde *Papiae turritae* compellatio, inordinatam hodie offert aedium struem, plurimis Italiae urbibus facile inferiorem, nisi veterum monumentorum copia, atque celeberrimi Athenaei splendor elegantiae penuriam resarciret.

Posita est urbs ad gradum 45.° 10.′ 47.″ latitudinis borealis, et ad 42.″ longitudinis occidentalis observatorii astronomici Mediolanensis, pedes parisinos 264 et lineas 40 supra libellam aequoris maris elevata. Humiliora urbis loca ad australem clivi pedem sita, quorum angiportus plurima scatent sorde, et Aquilonarium flamina excludunt, saluti habitantium magis insidiantur, quam pars superior et septentrionalis, cujus salubritas jam antiquitus adeò decantata erat, ut aedificato ibidem in honorem S. Petri Monasterio nomen *Coeli aurei* impertitum fuisset.

In taxanda coëli et climatis salubritate, vel morbido loci cujuscunque ingenio stabiliendo, praecipuam aestimationem sibi postulat *aër atmosphaericus*. Ex universali hocce vitae fonte, e quo nemo non potare cogitur, plerasque derivare aegritudines, quae multos homines eodem tempore adficiant, unanimi exploratum est medicorum consensu. Reducimus autem potiores aëris qualitates ad *crasin*, *udorem*, *temperiem*, *pondus*, *electricitatem*, atque *ventorum* imperium, quorum omnium major minorve gradus, constantia, aut

vicissitudo non solum ab ordinato anni temporum circuitu, et geographica loci positione, sed etiam a particularibus soli qualitatibus, sive a *physico*, ut ajunt, *climate* dependent, atque insignem in producendis, alendis et modificandis morbis popularibus influxum exercent. De his omnibus jam paulo enucleatius disserendum.

Iterata eximii Professoris, Petri Configliachi, experimenta cum aëre atmosphaerico in diversis locis agri Ticinensis eo fine instituta, ut *eudiometricum* illius eruatur *ingenium*, corroborarunt observationes exactissimas summorum virorum, Voltae, Seguini, Humboldtii, et Gay-Lussaci; proportionem videlicet vulgarium elementorum aëris vix ac ne vix quidem variare, in qualicumque demum loco periculum fiat, elatiori aut depresso, uliginoso vel aprico (1). Incassum igitur quis fontem morborum epidemicorum in eudiometrico atmosphaerae statu, sive in varia oxygenis ad azotum proportione quaereret. Ideo tamen nemo adhuc diversas aëris corruptiones negare audebit, quae nullas equidem eudiometri mutationes producunt, e manifestissimis vero, quos super entia viva exerunt, effectubus aeque, ac e foetore diverso sine difficultate erui possunt. Hujusmodi mephiticas exhalationes parturiunt: cloacae, sentinae, angiportus sordidi, lanienae, aliaeque graveolentes officinae in medio urbis sitae; demum ruri: sterquilinia sine cautione in casarum viciniis adcumulata, fasces cannabis et lini in aquis stagnantibus maceratae ac coeno obrutae, ut infra aquam demersae tanto promptius contabescant, scrobes uliginosae, et maxime oryzae sata, quae demissis, cum spicae maturescunt, lymphis, circumfluas auras tetro putore eum in modum contaminant, ut vel a procul jam nares ingratissime feriant.

(1) Prospectus observationum meteorologicarum agri Ticinensis cum additis annotatiunculis illum illustrantibus. auctore PETRO CONFIGLIACHIO, Physices in Papiensi Athenaeo Professore. Ticini. 1816.

Specificum solo Ticinensi ingenium impertit insignis atmosphaerae *udor*, ac *nebularum frequentia*. Ad hancce praecipuam feracitatis, parique tempore uberrimam morborum scaturiginem quamplurimae concurrunt circumstantiae, quarum nonnullae a nativis pendent climatis qualitatibus, aliae contra seriori tantum aevo per agriculturae modum introductae fuere. Inde concipi quodammodo poterit, cur hodie desideretur illa coeli amoenitas, quam olim decantavit PETRARCA, decus sui aevi (1), vivisque coloribus depinxit SACCO, fastorum Ticinensium scriptor suavissimus (2).

(1) Epistola quinta de rebus senilibus.

(2) De italicarum rerum varietate et elegantia Libri X. Auctore BERNARDO SACCO. Ticini. 1587.

Ticinus amnis magnis quidem potitur naturae donis; claritate enim et puritate eximia, ut colludentes flucticolae immo in fundo cernantur, repurgandis et dealbandis linteis, aliisque usibus optime inservit; salubres servat ripas, quas garrulae circumstant ancillae lavando tempus fallentes; caniculae diebus lenes movet Ethesiarum flatus, opaca frigora spirat, ac opprimentem temperat aestum; cursu demum non interrupto, quum nec hyeme ad rigorem algeat, navigationis commoda expedit. Ast nimia si redundat aquarum mole, propriosque cancellos egreditur, vario non solum terret periculo, verum etiam coeli salubritatem notabiliter deminuit.

A nostris imbribus raro duntaxat intumescit amnis; plerumque nive in vicinis Alpibus liquefacta, et in Verbanum lacum depluente, aut assidua ibidem pluvia ingruente augetur aquis. Auctus vero, Padi exemplo,

non tam cito detumescit, sed interdum per octo et amplius dies tumidus vagatur, quod creberrime labente autumno accidere consuevit. Loca tunc demissiora, lacunas, prata, arva, et lucos gelidis invadit undis, herbas virore absterso, atque campos diuturna mora emacerat, arida arenula, vel putido coeno sparsim in recessu suo cum damno relictis. Ad hasce jam alluvies et Padus suam contribuit symbolam; cum enim ab Alpium, Apenninorumque torrentibus increverit, ad satietatem plenus exsuperantes Ticini lymphas recipere recusat, easque propriis redundantibus ac recedentibus aquis auget. Tali eventu placidus antea amnis spumat ac fremit, domus vicinas furentibus fluctibus impune petit, eas malefico udore pervertit, discrimine et pavore riparum accolas replet. Luctuosum profecto, ac deplorandum spectaculum est, demissiores campos, Pado et Ticino conterminos, ad plurium miliarium distantiam in vastissimos lacus conversos visere; horret animus, agricolarum calamitates in ejusmodi redundationibus referre, qui ducunt remos, ubi nuper arabant, propriosque saepe relinquere coguntur Penates, effrenatis aquis submersos. — Si complacatus torrens in proprium postliminio recesserit alveum, coenoso et palustri solo relicto, feralis mephitidis germina serit. Durante bruma, sub mitiori radiorum solarium vi, subsident effluvia nociva, neque labem exhalare possunt concretis frigore lymphis. Torpent in semine morbi. Ast cum findit glaciem urenti lampade Titan, fermenta paludum excitat, ac late diffundit, praecipue si latices inertes fracescentibus plantis et animantium exuviis inquinatos recens non instauret liquor. — Inundationum damna prae aliis locis patiuntur Laumellina, interpositus bipartito Ticini alveo vicus suburbanus (Borgo Ticino), finitimaque nemora. Tortuosum, quod fluvius ab aliquot annis pedetentim sibi parat, iter, arenarum congestarum causa a rectilineo

deflectens tramite, atque retardatus multifariis repagulis aquarum cursus, indies majorem periculorum ex alluvionibus metum incutit. Quae lutosis et argillosis Padi ripis tenacius inhaerent, aquae stativae, citius plerumque dissipari solent juxta Ticini oras arenosas, ubi saepe *Nil praeter salices, cassaque canna.*

Alterum et vix non uberiorem udoris et nebularum fontem largitur irrigua agriculturae methodus in planitie Cispadana vulgo introducta. Vicit hominum industria et sollicitudo terrae infoecunditatem, ipsiusque naturam cura et cultu perdomuit, vertitque in solum laetum, singulis fere glebis fimo impinguatis, et gravi ligone saepius subactis, nec non rivulis innumeris per praedia diductis. Diaphani latices, demissis stato loco ac tempore per incilia portis, quibus inhibebantur, argenteo prosiliunt fluxu, per pascua agrosque dilabuntur, hortos altili liquore irrorant, omniaque finitima humectant. Pascua artificiose disposita, quae gliscentibus continuo aquis proluuntur, *Marcite* passim dicta, etiam medios inter algores hybernos vernali rident amictu, quater in anno novam sine semine parant messem, infinitisque armentis deliciosum subministrant pabulum. Hinc ovantes juvencae praeter mensuram lacteum profundunt laticem, qui tantam casei sapidissimi copiam largitur, ut per omnes terrae plagas divendatur, principalem villici efformando divitiam; ejus enim bonitatem vel remotissimi populi stupent, imitari vero, abductis etiam nostris vaccis, nequiverant. Circumpadanis natura hocce donum privum esse voluit gentibus, et quidem praesertim illis, qui Laudensem, Mediolanensem ac Ticinensem agrum singulari colunt industria. Tanta pascuorum fertilitate et abundantia pellecti pastores ex altioribus ac depastis jugis montium limitaneorum suas greges, ineunte bruma, in ridentem convallem Cispadanam deducunt. Sunt vel jumenta,

vel oves, vel capellae, quae turmatim per viridia dispalantur prata, patriam postliminio rediturae, cum verni zephyri, frigoribus abactis, laxaverint annum.

Omissis pascuis pullulat in agro cis Ticinum, aeque ac in finitima Laumellina ab aquis longe lateque diffusis virenti calamo Oryza, pedali aggere circumsepta, quae uno sane tempore innatat lente percurrentibus lymphis, terraque coalescit. Quousque suis rivis continuo instaurantur aquae limpidae ac temperatae, vix conspicuum detrimentum circumfluo aëri adferunt oryzae segetes; quodsi vero maturescente grano demittantur, rasus a messoribus campus in coenosam convertitur paludem, quae contabescentibus stipulis, innumerisque animalculorum generibus putrore dissolutis pestifera mephite auras replet. Hinc multifaria illa, atque sontica mala, quae in oryzariorum viciniis debacchantur, miseris colonis maxime communia et infensa, uti febres intermittentes pessimi moris, diarrhoeae et dysenteriae colliquativae, viscerum emphraxes, hydrops, scorbutus et pellagra. Qua de re probandae omnino sunt querimoniae Cirilli, Morgagni, et Zanotti Mediolanensis circa oryzae culturam nimis divulgatam, qui viri eximii salutem populi magis, quam conductorum praedialium lucra cordi habuere. Antiqua statuta anni 1550 et 1602, quae oryzae segetes ad determinatam quandam ab urbibus et oppidis majoribus distantiam proscripsere, Anno 1809 denuo revocata, hodieque sancita, providorum Magistratuum solertiam in tuenda accolarum salute demonstrant.

Asti Felice Dissertazione sopra le risaje ed il riso. Casal-Maggiore. 1787.

Praeter innumeros illos rivulos, qui, postquam sinuosis anfractibus suburbana praedia perrepserint, in pauca ab urbe distantia, veluti in pelago corrivant, — Papiae plagam udam reddere juvat Fossa navigabilis

(Naviglio), paucis abhinc annis suam adepta consumationem. Circuit illa civitatis moenia a Septentrione ad Orientem; onerarias naves Mediolanum conducit, alias revehit, effunditurque in Ticinum, gradatim per portarum obices in ipso euripo passim locatos, et summo cum artificio constructos delabendo. Lento aquarum cursu vegetationi subaquaneae mirum in modum favet, unde Potamogetonum, Ulvarum et Confervarum densissimae sylvae haud raro navigationem intercipiunt. Demissis tunc aquis, quod mense Martio plerumque fieri solet, a superfluo repurgatur coeno, ast non sine damno eorum, qui vicinia inhabitant loca.

Tanta jam aquarum redundantia, illuvionum frequentia, rivulorum, fossarum et scrobum copia, atque indies majori industria promotus ac divulgatus irrigationis cultus non potest, quin insignem soli et atmosphaerae humiditatem pariat. Neque reticendum est, quod raritas ventorum impetuosorum, atque periodicorum infirmitas suam quoque contribuant symbolam; quae enim e montibus Ultrapadanis spirant flamina, praecipitantibus Eridani et Ticini undis velut inhibita, unacum istis deorsum derivantur, ideoque de primordia sua vi et directione plurimum amittendo, antequam ad nos perveniant, dissipandae caligini nebulosae parem efficaciam exerere nequeunt. Adsidua, quae in Observatorio meteorologico Ticinensis Universitatis instituuntur, experimenta, docuerunt Hygrometri stationem mediam ab anno 1808 ad 1815 graduum 68. 48, — illam vero intervalli octiennis ab anno 1817 ad 1824 graduum 64. 16 fuisse. — Jam aestatis fastigio humus, qui vel currentibus, vel stagnantibus aquis continuo uvescit, solisque fervore pene excoquitur insignem eructare occipit vaporum copiam, unde totus vicinus crassatur aër. Inprimis vesperascente die irriguis pratis rarior, densiorve nebula incubat, pedetentim ita aucta,

ut urbem unacum finitimis praediis caliginoso nimbo circumdatam ac fere sepultam cernas; sudo coelo cum Aurora duntaxat reversuro, postquam nebulosus fumus in gratum rorem condensatus, vel ad nubium regna elatus fuerit. Maximum vero gradum nanciscitur soli et atmosphaerae humiditas exeunte autumno, quo ningit in montibus, pluit in planitie, nivibusque alpinis persaepe improvise ac festinanter solutis, aquarum et fluminum moles ubicunque increscit. Per plures dies, immo per hebdomadas densissimae nebulae Ticinensem contristant agrum, talemque saepe fovent caliginem, ut perpetuam argueres Solis eclipsin. Noctes frigescentes, ac indies magis productae vaporum aqueorum interdiu formatorum densationi cumprimis patrocinantur. Hygrometrum tunc nonnisi raro infra 60.um gradum delabitur, ast non infrequenter 90.um exsuperat. Ni venti impetuosiores ab Arcto spirantes coelum everrant, incubantes nebulae in Januarium mensem usque porriguntur, eoque crebriores esse consuescunt, quo copiosiores pluviae. — Quam homines et pecudes in Occidentalis Indiae insulis, Antillis dictis, uvidissimi climatis causa experiuntur, adipsiam, egomet ipse, novellus Ticini accola, in me expertus sum, quovis anno labente autumno hactenus experior, atque in aliis etiam individuis observare potui, improportionatam stupens lotii copiam, illa potulentorum duplo facile superiorem. Hoc phaenomenon profecto Pyrrhonicam haesitationem quorumdam medicorum, circa facultatem cutis bibulam, dispellere procul dubio valebit.

Si arenosas excipias Ticini amnis ripas, *humum* agri nostri continuo udori analogum invenies, pinguem utpote, tenacem, cretaceum, argillosum, lateribus conficiendis idoneum, e terra aluminosa, silicea, et calce carbonata conflatum, quem, Plinio praeeunte, *Margam* vocitant, unde italicum *Marna*. Huic naturae soli re-

spondent etiam species *plantarum sponte nascentium;* possumus enim eas veluti organicum amiculum telluris considerare, quod eandem ad geocosmum habet relationem, quae plumas, vel pilos inter et organismum animalium viget. Ideo plantae rivulares, fluviatiles, lacustres, uliginosae, palustres, cespitosae, inundatae et ripariae, e generibus Cyperi, Scirpi, Junci, Caricis, Arundinis, Sparganii, Hottoniae, Menyanthis, Trapae, Potamogetonis, Utriculariae, Ranunculi, Veronicae, Nymphaeae, Confervae, etc.: praecipuam partem componunt *Florae Ticinensis*, quae ex ditioribus non est, neque esse potest, ob summam culturae curam, ac uniforme soli plani et uvidi ingenium, quapropter nec pineta, nec plantae ericetinae, nec aliae, quibus arida et aprica loca esse solent amica, inveniuntur. Ipsa Ficus, et Punica Granatum, quondam in nostris plagis frequentes, indies magis rarescunt increscente soli madore.

Flora Ticinensis, seu Enumeratio Plantarum, quas in peregrinationibus observarunt et collegerunt Dominicus Nocca et Johannes Baptista Balbis, publici Rei herbariae Professores. Tomus I. Ticini, 1816. — Tomus II, 1825.

Ubertas rivulorum limpidissimorum, qui ad exiguam profunditatem ruderata strata permeant, foecundissimos, nec unquam arescentes *lymphae potoriae* fontes praebent. Putei, quorum nulla apud nos penuria, purum equidem et illimem, sed refocillante frigore plerumque destitutum, ac aestivis diebus persaepe vapidum et effaetum laticem subministrant. Celebratissima et saluberrima quondam habebatur aqua, quae ex fonte inter hortos urbani monasterii Divae Mariae *delle Caccie* scatet, ubi Regum Langobardorum venatio olim esse consueverat, et cujus peculiarem virtutem in ferri acie perstringenda, et sale dealbando fuisse scribunt. Aquis thermalibus et soteriis prorsus caret solum Ticinense

(exclusis semper collibus Ultrapadanis), nisi salsos excipere velis fontes, quibus pratulum, prope pagum *Miradolo*, irroratur. Experimenta instituta demonstrarunt panem istis aquis (caeterum ferme insipidis) confectum sapidiorem evadere, carnes elutas difficilius computrescere, tela facili negotio dealbari, ac nonnullas digestionis turbas permulceri.

Quamquam nemo inficias ire audebit, *temperiem* soli, et aëris potissimum a benefico igniferi sideris influxu dependere; nihilo tamen secius quotidiana abunde probat experientia, etiam in globo terraqueo quamplurimas extare circumstantias, quae caloris determinant vim atque constantiam. Qua de re temperaturam evolutionum telluricarum, ac saepe mere localium, non minus quam cosmicarum sobolem esse decernitur. Diversae plagae, utut sub eodem longitudinis geographicae gradu sitae, longe asperiores climatis injurias patiuntur, quam Ticinensis ager offert; hujus enim coelum mite est, et complura vegetationi emolumenta, hominibusque commoda subministrat. Praegrandium sylvarum defectus, atque montium, qui Cispadanam amplectuntur planitiem, distantia talis, ut spectabilem influxum exerere nequeant, praecipuam sistere videntur causam majoris coeli constantiae. Quae per vices accidunt, variationes et improvisa frigora, ab adventitiis potius pendent soli et anni temporum qualitatibus. Alpium Helveticarum et Tyrolensium catena feracissimam convallem langobardicam adversus horridi Septentrionis algores tuentur; quare praecocius spirant Chelidoniae aurae, fervidius percoquit aestiferi Solis jubar, diutius porriguntur autumni deliciae, mitissimaque per paucas tantum hebdomadas viget bruma. Media altitudo thermometri, in opaco loco observati, fuit ab anno 1808 ad totum 1815 grad. + 8. 2 scalae Reaumurianae, ab anno 1817 ad 1824 grad. + 9. 46.

Barometricus atmosphaerae status notabili elevationi super aequorem maris, et udori continuo adprime correspondet. Quapropter mercurii columnam 29 pollices adtingere, uti id in plagis depressis, orisque maritimis accidit, Ticini nunquam observatur; inter 28 et 27 contra deprimi, frequentissimum est. Immo quovis fere anno aliquot invenies dies, quibus ad 27 pollices delabitur; phaenomenon in quibusdam regionibus profecto rarissimum, in aliis plane inauditum licet nulla sit elevationis differentia. Ab anno 1808 ad integrum 1815 media baroscopii statio erat 27.° 9. 4.; ab anno 1817 ad 1824 parum dissimilis 27. 10. 12.

Quo major aquarum copia, quo uberior earum in vapores resolutio, quo crebrior nebularum genesis, eo vividior universim esse solet *aëreae electricitatis* lusus. Tellurem et atmosphaeram pene perennibus electricitatis vicissitudinibus sibi colluctari; — electricitatem atmosphaericam nubibus cumprimis inhaerere profusiorem, pluviis nebulisque comitibus ad nos descendere, ac tanto uberius prolici, quo frequentiores et rapidiores fuerint vaporum geneses; — eam denique, sive a tellure sursum evocetur in aërem, sive ab hoc deorsum depluat, aqueo vehiculo uti, — neminem rerum physicarum gnarum latet. Quam ob rem in Agro Ticinensi insignis persaepe animadvertitur tensio electrica, inprimis mensibus Junii et Julii, ob summam fervoris aestivi potestatem, et evaporationis redundantiam, atque singularis haud raro esse solet vicissitudinis rapiditas, testantibus observationibus electrometricis Alexandri Voltae. Coryphaeus ille Physiosophorum, dum fulgura inter nubes coruscabant, tonitruque contremuit coelum, decies quandoque intra horae scripulum electricitatis qualitatem variare vidit, positivam utpote mutari in negativam, et vice versa.

Plura sane, eaque summe obvia sunt phaenomena,

quae eximium hujus Enormontis imperium apud nos demonstrant. Procyone furente terribiles coruscant procellae, quae in atros dissolutae imbres, aquarum molem derepente augent, ast raro tantum funestam pariunt grandinem, spicatae segetis florentisque vitis deletricem. Arborum copiosae, ordinataeque series, juxta agrorum margines et fossas cultae, ac nemora Ticini ad ripas inundatas sponte germinantia, quae umbriferis comis sese extollunt, ignitum fomitem avido ore absorbendo nubium nimbosarum explosioni haud parum obsecundare, grandinis contra genesi crebriori conspicua agri nostri distantia ab Alpium jugis, suetis tempestatum cunabulis, obstare videntur. — Occaso post fervidos dies sole, etsi in Zenith stellarum myriadibus niteat divum serenum, horizontis ad limbum constanter absque tonitru fulgurat, fatuique ignes in alto succensi trajiciuntur crebro.

Non minus evidentes effectus tensionis electricae varius gradus in ipsis animalibus concitare consuescit. Aestivis diebus, et quidem maxime vespertinis horis, concurrente simul aëris malacia, atque saepe, quin tempestatis erupturae indicia adpareant, inexplicabili languore corpus opprimitur, ac intolerabili caloris interni et dysphoriae singularis sensu angitur; ipsa hebetatur ingenii acies; torpet homo ineptus ad omnia, quamvis cum voluntate et proposito ad opus accedat; manifestissima per totam corporis peripheriam emanatio aperte indicat volatilium et expansivorum elementorum in penetralibus redundantiam et coacervationem, cui minuendae impar est atmosphaera vapida et electrico principio onusta, ideoque minus bibula. Sub ejusmodi coeli statu vividius lucent lampyridés, cicadae canorae laetius garriunt, atque ranarum greges limosa ab ulva educti priscis conviciis replent auras, veluti implacabilem querentes aestum. Dum vero igniferae nu-

bium acies frontibus adversis inter se jam concurrunt, et imbres praecipitant; dum inexpectati flatus Aquilonares nimbosam dispellunt caliginem, vel opaco noctis frigore nebulosus fumus in argenteum densatur rorem, serena redit coeli facies, et cum illa pristina membris agilitas, corporis levitas, omniumque functionum facilitas. Ipsa animalia simili reficiuntur vigore;

Hinc ille avium concentus in agris,
Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi,
Nescio, qua praeter solitum dulcedine laeti.

Virgil. Georg. I.

Haec omnia vero electricitatis lusui magis fortasse, quam temperiei variatae rationi tribuenda esse, quivis adtentior naturae observator sine negotio perspiciet. — Si modo jam aërea electricitas tantum super entia organica exerit influxum, eorum salutem quoque ab eodem fonte nunc vigorari, nunc infirmari debere, nemo inficias ibit. Perutile quidem, ast summe arduum et salebrosum foret argumentum, arctiores indicare relationes, quae inter statum electricum climatis cujusdam et vernaculos morbos vigent. Mihi interim sufficiat monuisse, electricitatem aëream, ejusque in corpus humanum actionem haud minoris momenti esse, quam alias atmosphaerae, quibus adficimur, qualitates et vicissitudines, ac ideo in Chorographiis medicis principem sibi vindicare locum. Quamvis nullus negare ausim hocce potentissimum elementum imponderabile in processum organico-plasticum mira ratione influere (novimus enim ejus in quibusvis operationibus chymicis efficaciam), talique pacto in producendis morbis cachecticis suam quoque habere partem; multo tamen majori cum securitate proferre auderem, morbos ut medici passim dicunt, dynamicos, atque inter epidemicos febres intermittentes et rheumatismos ab aërea electricitate per eminentiam dependere; et qui-

dem, si fallor, priores a tensione negativa, posteriores a positiva, rapidisque vicissitudinibus. In agro Ticinensi utriusque generis labes creberrime occurrere, ipsis profanis non est ignotum.

In amplissima convalle Cispadana, cujus partem efficit ager noster, nullam determinatam observare licet *ventorum* directionem periodicam. Possunt tamen sequentes regulae anemometricae, tamquam communiores statui, e meteorologicis ephemeridibus depromptae. Omnium frequentissimi sunt *venti solani* (Ost) ab oris Adriatici maris spirantes, plerumque temperati et humidi, nec non *Vulturnus* (Sud-Ost, Scirocco) e Placentiae plagis nobis advectus, qui ordinaria esse solent pluviarum pincerna; posterior hyeme nivibus, aestate atris et fulgure gravidis nubibus obsecundat. — *Favoniis* (West) siccum frigidumque debemus tempus; quare semper desiderantur, dum densae nimis diu incubant nebulae. — *Venti australes* (Sud), nobis rari, qui maris aequorem verrunt, Apenninorumque juga percurrunt, plurimum jam deferbuere, antequam ad nos pervenerint; libenter pluviosum, udumque reddunt coelum. — *Aquilonares* contra flatus (Nord), quos Alpes evomunt, vix non constanter violenti, gelidi et sicci, mox minantes procellas dispellunt, mox improvisas adferunt, praenuncio plurimum turbine. Quandoque media aestate adeo rigidam reddunt tempestatem venti ab Arcto spirantes, ut potius hyemalem putares, idque non sine gravi salutis periculo; improvisam enim catarrhorum, rheumatum, anginarum, pleuritidum et peripneumoniarum cohortem ex templo suboriri videmus. Quodsi contra per plures prorsus sileant dies, atmosphaera convallis Cispadanae facillime excandescit, ac multifaria hominum, brutorumque saluti struit damna, maxime vero infimae plebeculae, quae necessariis, ut molestissimum, nec horis nocturnis remit-

tentem, aestum arceret, vel temperaret, commodis destituitur. Non minus proficua agro Ticinensi sunt spiramenta borealia, si labente autumno nimia pluviarum copia, et nebularum frequentia tristem inducit squalorem, quem saepe confestim dissipant, docente baroscopii adscensu et hygrometri delapsu. — Qui ex angulis, quatuor mundi plagis interpositis, scaturiunt venti, apud nos sunt rariores, ita Caecias, Africus, Libonotus, rarissimus Argestes. Venti pluviosi, Solanus et Vulturnus, praesertim vere et autumno nostrum perflant agrum. E temperatis provenientes zonis, contra nivosas impellendo Alpes, vel Aquilonaribus intermixti, frigescunt, vapores densant, talique pacto copiosissimis, iisque saepe diuturnis imbribus patrocinantur. Media mensura pluviae, periodo octo annorum delapsae fuit poll. 27. 0. 4.

Indicatis obiter praecipuis coeli Ticinensis qualitatibus, quatenus vel à physico climate, vel a periodico anni temporum circuitu dependent, progrediamur modo ad perquisitionem morborum, qui ex universali hocce fonte suam repetunt originem, ideoque *populares* audiunt. Horum nonnulli ex perenni pullulant climatis conditione, e relationibus hominis *ad spatium*, — morbi utpote *vernaculi*, *endemii*, quos Galenus rectius ἐπιχωρίους, vel ἐγχωρίους dixit; — alii fixis, aut indeterminatis recurrunt circuitibus, ac sibi succedentibus metamorphosibus *in tempore* respondent, quapropter merito *morbi chronici*, sive *temporales* dici possent, (obliviscamur communem, ast minus rectum et mere arbitrarium morbi chronici conceptum), ut distinguantur a prioribus, *topicis*, *localibus*, sive *spatialibus* (sit venia verbo), communiter vero morbi *epidemici* nuncupari solent, et quidem pro diversitate reditus, mox *annui*, mox *intercurrentes*, mox *stationarii*. Isti ad nutum oscillationum cosmicarum continuo mutantur, incipiunt,

crescunt, vigent, decrescunt, ac subintranti dominio locum cedunt; copulant igitur ideam *motus*: — illi, ad spatium vincti, immutati persistunt, nisi accidentales in materiali substrato telluris contingant mutationes, talique ratione *quietis* symbolum exhibent. Inde quodammodo intelligi poterit, cur morbi epidemici, chronici, seu temporales semper acuti, variabiles, rhytmici et febriles sint, in quibus motus organicus (sphaera dynamica) per eminentiam patitur; — et cur ex adverso morbi endemici, topici, seu spatiales decursum teneant diutinum, uniformem, atypicum et apyreticum, inque officina materiae organicae (sphaera somatica) plerumque radices figant.

Complexus omnium circumstantiarum, quae populares morbos gignunt et fovent, vocatur *constitutio epidemica.* Haec juxta discrimen paulo ante explanatum in *topicam*, *localem*, seu *stativam*, et in *chronicam*, *temporalem*, seu *mobilem* dilabitur. — Quamquam prior a climate geographico, vel physico, proinde ab influxibus telluricis, altera a potentiis cosmicis altioris ordinis determinetur, utraque tamen in atmosphaera principem agnoscit fontem; haec enim medium sistit universale, quod inter tellurem et macrocosmum intercedit, ac mutuam sustinet relationem. Vanum itaque foret tentamen quodvis, eum in finem directum, ut constitutionis epidemicae innotescat ingenium, nisi summa in multifarias atmosphaerae conditiones dirigatur adtentio. Eapropter vero negligendae non sunt complures aliae injuriae, quibuscum homini perpetuo colluctandum, uti essent alimenta, potus, vitae genus, opificium, calamitates, etc. quae omnes aut singulae, seorsim aut conjunctim spectatae, si certum quemdam universitatis gradum adtingant, facile majorem populi partem in morbi discrimen projiciunt. Suapte liquet sponte, ruricolas prae civibus urbanis morborum epide-

micorum casum subire debere; quapropter quidquid de istis profertur, aut discussioni submittitur, inprimis ad gentem annonariam refertur, quae numerosissimam, et utilissimam, ast proh dolor! miserrimam concivium efficit classem.

Inter morbos solo Ticinensi familiares vix non principatum tenent *febres intermittentes*, quas omne fere parit anni tempus, praesertim autem ver, atque autumnus, tempestas austrina et pluviosa. Ea loca, quae irriguis pascuis et oryzariis abundant, intermittentium copia, istarumque majori contumacia et nequitia excellunt. Nullus, fante jam Lancisio, est febrium harum parens magis prolificus, quam aër uvidus et palustris. — Febres intermittentes duplici potiuntur jure; illo quippe morbi epidemici annui, sive chronici, parique tempore epichorei, sive topici. Amphibiam hanc, originis respectu habito, naturam demonstrant quoque decurrendi modo; sunt enim morbi acuti, et rhytmici, singulas si spectes invasiones febriles (effervescentia paroxystica), quarum syndrome vero in diutinam et infinitam extenditur catenam (diathesis paroxystica). Perennat proinde sine termino occulta diathesis paroxystica, per vices effervescens. Recordamini, precor, thesium supra allatarum, quae, ad casum febrium periodicarum adplicatae, eo etiam intuitu confirmantur, quod omnis paroxysmus adfectum virium transitorium, diathesis contra febrilis labem permanentem in systemate reproductivo, et speciatim in ejus sphaera sensitiva clandestine delitescentem sistit.

Maxime benignae et hic loci cernuntur febres vernales, quae in primordiis typum quotidianum, serius tertianum, simplicem aut duplicatum tenent; nunc meracae et perfectae sunt, nunc subcontinuae, subintrantes, complicatae, et quidem plerumque charactere inflammatorio-catarrhoso, vel gastro-pituitoso comitatae.

Sanationem sine negotio admittunt, immo haud raro sponte defetiscunt, neque posthumis terrent malis.

Insignem e converso malignitatis gradum nanciscuntur intermittentes mensibus Augusti et Septembris, quo praeter aestum, malaciam, et vaporum copiam, maxime contribuunt effluvia mephitica, tunc temporis ab oryzae arvis extricata. Imminente enim messi demittuntur aquae, solisque radiis percoquentibus modo patet coenosa superficies, quae putrida resolvitur fermentatione. Febres aestivae typum tenent tertianum aut hemitritaeum; vix non constanter sordibus gastricis, et speciatim biliosis, aut biliformibus complicantur. Haud raro summe exitialia cum paroxysmis in foedus coeunt symptomata, unde multifariae febrium larvatarum et comitatarum formae, quas inter cephalalgica, soporosa, emetica, dysenterica, ephidrotica, atque syncopalis communiores esse amant. Nisi prompta paretur medicina, secundus jam aut tertius paroxysmus necem parat. Praesertim huicce cladi succumbunt messores, qui pedibus luto immersis oryzae colligunt mergetes, totaque die urentibus exponuntur Solis ignibus, implacabilem aestum putidis et impuris temperare saepe non abhorrent aquis, domumque reduces miserrimo cibo, defessas labore vires restaurare impote, famem duntaxat sedant urgentem.

Tantum abest, ut labente aestate minuatur febrium intermittentium dominium, ut potius nova capiat incrementa. Evanescit quidem malignum ingenium, ac praecipitis periculi metus; — tanto magis vero funesta evadit posthumorum malorum cohors. Quartano nunc libentius adstrictae typo, simplici, duplicato, aut triplicato, profundas in organismo agunt radices, partim quod ex sua indole jam magis obstinatae sint, partim quod aegrotantes iisdem, quae malum genuere, injuriis continuo exponantur, ipsumque morbum nauci

factum prorsus negligant. Serius ocyusve in lienis hepatisque obstructiones et parectamata, in dolores colicos, dysenterias, variasque hydropis species degenerant. Ex eodem fonte progerminat quoque passio hypochondriaca, quam vulgus il *Male del Padrone* nominat, non ignarus similem adfectum domini opipare viventis magis, quam miseri servi praerogativum esse. Febrium itaque intermittentium exercitui, qui stativa castra in humilioribus agri Ticinensis locis ponit, multi alii morbi jungunt se comites, priorum mox germani coaevi, mox posthumae soboles.

Quemadmodum paucos tantum invenies rurigenas, qui vitae suae curriculo febrem intermittentem non essent perpessi, ita vix decimam eorum reperies partem, cui *lien* foret incolumis. — Hocce viscus mox volumine tantum crescit, normalem servans compagem et texturam (*parectama*); mox justo majorem una contrahit duritiei gradum (*infarctus, obstructio, emphraxis*). Levius malum, dato cumprimis casu priori, per longam quandoque annorum seriem delitescit, quin conspicuum vitae, vel saluti detrimentum paret. Peculiarem tamen corpori conciliat habitum, squalidum, Graecis χλωρον dictum, macilentum, tumidulum, aut strigosum. Haec res adeo obvia est, ut qui in nostris agricolis vultum decolorem et saturninum conspexerit, lienem infarctum fere certus hariolari poterit: Quo altiorem vero morbosa haecce lienis metamorphosis adtingit gradum, eo manifestius contigua viscera, totusque processus reproductionis organicae patiuntur, nasciturque *cachexia* sui generis, quam *splenicam* adpellamus. Multifaria tunc, et copiosa phaenomenorum et malorum seges in propatulo habebitur, quae splenis hyperepidosin vel comitatur, vel insequitur; quandoque singula tantum symptomata adparent, speciales efficiendo morborum formas; alias plura in foedus

coeunt, eoque magis ambiguam reddunt aegrorum sortem. — Sclerotica plumbeo, vel coerulescente nitet colore; pupulae ultra modum hiant; nares crebro sanguinem profundunt; venter inflatus, si adtenta contrectatur manu, tumorem plus minusve durum offert ad hypochondrium sinistrum, qui haud raro ad epicolicam ejusdem lateris plagam, quandoque plane ad umbilicum, ac versus ilei cristam porrigitur, unde dyspnoea ferme habitualis, maxime corpore alacrius moto, pleurodynia punctoria, vel gravativa, digestionis languor et alvini muneris torpor. Superato vasorum brevium obice sanguis splenicus in stomachum effunditur, atque haematemesin, vel melaenam suscitat; venae haemorrhoidales inturgescunt, dolent, per vices cruorem atrum dimittunt; menstruus in feminis fluxus supprimitur, vel pauca tantum sine periodo redit copia. Artus extenuantur, nisi leucophlegmate tumentes fallacis obesitatis fucum faciant, vel manifesto inter cutem hydrope suborto morbosum acquirant volumen. Animus moeret, de propria salute anxius, in solitudinem et iracundiam pronus. Neque scorbutica symptomata, et tibiarum ulcera infrequentia esse solent illis, qui magnos habent splenes. Hujus observationis amplum testimonium jam Hippocrates praebuit in Praedictionum Lib. II. Cap. VI., inquiens: » Gingivae vitia» tae et ora graveolentia his sunt, quibus splenes » magni; quicunque vero sanguinis eruptiones non » patiuntur cum splene magno, ii tibiae ulcera pra» va habent, et cicatrices nigras ».

Tametsi lienis vitia persaepe febribus quartanis pervicacibus atque neglectis inducantur; non minus frequentes tamen esse consuescunt lienosorum casus, qui nec umbram febris intermittentis unquam sunt passi. Sennertus atque Riverius potissimum criminantur pravum vivendi genus, cibos crassos et faeculentos, pisces

palustres, carnes fumo duratas vel sale conditas, legumina, milium, castaneas, potum aquae impurae, nivalis, et similia; quibus cunctis sua in progignendo lienis infarctu jura quidem denegare nolumus, sufficientem vero in malo populari fovendo potestatem inesse posse, non sine ratione dubitamus. — Agitur de vitio epichoreo, plebi agresti et paupertinae apud nos maxime familiari, in aliis contra regionibus fere inaudito, quamvis et ubi gens annonaria pessimo victu nutriri soleat; — agitur de vitio, quod autumni sobolem esse, nemo medicorum ignorat. Quam ob rem prophasis genitrix satius in climate et atmosphaerae statu, quam in domesticis causis inquirenda.

Antiquissimis jamjam innotuit temporibus, testante Hippocrate et Alexandro Tralliano, regiones udas atque paludosas tumoribus lienis mirum in modum patrocinari. — Bartholinus frequentem huncce adfectum vidit in Dania; Van der Linden in Frisia orientali; Portal in Pictavia; Kramer in Bannatu Hungariae; Chalmers in Carolinia australi; Foderé in Agro Mantuano; Heustis, aliique peregrinatores in Novo Aureliano, ad ostium fluminis Missisippi; Young in Bengala et praesertim juxta uliginosas ripas Gangis. » *Il* » *male della milza*, narrat Lambertius, *affligge quasi* » *universalmente i Colchi, il quale non venendo con gli* » *opportuni rimedj curato, quasi sempre si converte in* » *idropisia.* » — Ipsa bruta in uvidis plagis Insulae Balearicae minoris splenica labe adfici, Cleghorni observationibus compertum habemus. Notum denique est, Selandiae incolas, quibus lienis infarctus admodum communes, laetam recuperare valetudinem, dum in montosas commigrant regiones, denuoque in pristinam relabi cladem, ad udos si revertuntur natales. — Eo igitur nos perducit experientia, clima humidum, aërem crassum et nebulosum, atque autumnale anni tempus

lieni per eminentiam esse infensa. Et si quis quaereret, quaenam inter diurnas phases lieni imperet, non aliam nisi vespertinam insimulare possem; haec enim in physicis et cosmicis qualitatibus cum climate udo et autumno maxime collimat. Ipsae febres intermittentes splenis infarctui producendo prae caeteris idoneae, videlicet quartanae, vespertinis plurimum invadunt horis. — Hactenus de factis.

Ubi autem eorum ratio inquirenda? Qualis extat organon inter et morbificas injurias nexus? Qualis est harum super illud agendi modus? Cur clima udum, aër nebulosus, autumnus et hesperus adeo conspicuum super lien exerunt influxum? — Quot quaestiones, totidem problemata pathologica, quorum illustrationi, ne dicam solutioni, quamplurimae reluctantur difficultates, si reconditam in intimis penetralibus organi sedem, ejusque dignitatem in gubernanda oeconomia animali et functionem hodieque nondum extra controversiae aleam positas esse perpendimus. Quatenus vero medici Philosophi officium nequaquam simplici phaenomenorum observatione circumscribitur, sed pari jure prudentem originis indaginem, atque consideratam causarum, effectuumque perquisitionem includit; — eatenus aliquas saltem de nosogenia labis splenicae ab endemico, vel epidemico fonte scaturientis ideas subnectere animus prurit. Tanto libentius autem hic per transenam immoror, cum plerosque pathologos hocce objectum, quasi omni consideratione indignum foret, novercae manu tractasse, vel plane Harpocratem coluisse viderim.

Hypothesium phantasticarum, per quantum licet, evitare cupiens laqueos periculum a cardinalibus quibusdam notitiis, mutuam relationem inter organismum grandi-mundialem et humanum respicientibus, ordiri, necessarium duco. Hanc unicam, et tutissimam esse

viam arbitror, qua morborum epidemicorum et epichoreorum origines et vicissitudines perquiri, et erui possunt. Quodsi intimior nexus evolutionum cosmotelluricarum cum definitis vitae animalis manifestationibus clarius innotuerit, lienis non solum, verum etiam aliorum viscerum passiones, determinatis terraquei globi plagis, atque temporibus communes quadantenus inclarescent.

Vita humana simulacrum exhibet *vitae mundanae*, unde justa profecto erat antiquorum de microcosmo idea. Ceu *pars* universi cunctis illis subjicitur legibus, iisdemque metamorphosibus relate ad spatium et tempus, quibus regitur *totum*. Nulla in rerum natura contingere potest permutatio, sit illa constans, periodica, sive adventitia, quin organismus humanus ejus influxum experiatur, perpessamque innovationem modis plus minusve evidentibus patefaciat. Nostra existentia, nostri motus vitales nutum sequuntur motuum planetae, quem parasitarum instar incolimus. Inde jam dependent essentiales illae differentiae, quas in homine juxta climatis, anni temporum, phasiumque diurnarum discrimina observare licet. Inde multifariae illae processus vitalis formae, quas incola zonae torridae, ἀμφισκιος, — zonae polaris, περισκιος, — et zonae temperatae, ἑτεροσκιος, offert. Inde variae manifestationum vitae modificationes, atque diatheses, quae hominem vernum, aestivum, autumnalem et hybernum distinguunt. Hinc denique diversa illa phaenomenorum vitae ratio, quam periodica rotatio telluris circa propriam axim, et quae inde pendent quatuor diei tempora, aurora, meridies, vesper et nox, in quovis ente vivo, inque homine ipso producit. — Isochronas evolutiones, quales in macrocosmo succedunt, etiam in microcosmo humano contingere, vitae curriculum in suis stadiis clarissime demonstrat. Homo nascitur et

crescit; aetatis ver, vitae aurora, juventus; floret et viget, masculam adeptus perfectionem et propagandi facultatem; aestas, meridies, sive culmen vitae sidereae et psychicae, virilitas; — labitur pedetentim corporis atque mentis vigor; vitae autumnus, vesperascens aetas, senecta; — tandem legi mortalitatis succumbit caducum corpus; omnis vitae expers bruma, nox tetra, mors. — Hanc imaginem cycli aeterni terrigena non solum in universo vitae suae decursu manifestat, sed quavis die repetit, ac si Supremus rerum Arbiter voluisset, ut mortalis creatura praefixam sibi metam perpetuo prae oculis habeat. Mane homo expergiscitur laetus et ovans; interdiu vigilat et viget; hebescit vesperi ac nutat veternosus; alto demum obrutus sopore atris subtrahitur noctis silentiis, redeunte Phoebo ad novam vitam evigilaturus.

Quemadmodum sub imperio polaris antitheseos anni temporum supremos, ac e diametro oppositos vitae animalis motores, sive enormonticas vitae manifestationes per eminentiam evolvi videmus, et quidem solstitio aestivo nisum in expansionem, phlogiston, leptochymiam, atoniam, sensibilitatem, vitam nerveam, solstitio hyberno contra nisum in contractionem, oxygenium, pachychymiam, hypertoniam, irritabilitatem, vitam arteriosam; — ita tempore aequinoctiorum potentias dynamicas ad indifferentiae statum conspirare, et exaequationem moliri, non solum in nostro systemate planetari, sed etiam in vitae organicae phaenomenis satis clare animadvertimus. Inde concipi poterit praedominium vitae plasticae, seu vegetativae, veluti producti indifferentialis factorum vitalium polari nisu invicem colluctantium, quod unacum die noctem aequante exsurgere consuescit, eo tamen cum discrimine, ut verno tempori evolutio organica, sive metamorphosis progrediens, autumno contra reductio, seu

metamorphosis regrediens correspondeat. Quum vero potiores vitae manifestationes propriis regantur organis centralibus; ita horum quoque energià mox intendatur, mox minuatur, necesse est, prouti externae conditiones, et quae inde pendent reciprocae cum organismo relationes mutantur. Hanc ob rationem systema nerveum et viscus hepar aestate, — systema arteriosum et viscus pulmo hyeme, — tubus gastro entericus, sive officina recipiens et adsimilans vere, — systema venosum et absorbens unacum organis defaecantibus, sive officina resimilationis et reductionis eminentem exerunt energiae ac sedulitatis gradum, ideoque caeteris paribus promptiores erga injurias qualescunque opponunt reactiones. Cutis demum et membranae mucosae, — quae extimas organismi oras amiciunt, organis interaneis cum mundo externo connectendis inserviunt, talique pacto communissima potentiarum tam amicarum, quam hostilium atria praebent, — quovis anni tempore sua defendunt jura.

Quodsi singulas mutationes, quae in universa rerum natura sub periodico anni temporum cyclo obveniunt, paulo adcuratius perpendere, easque cum legibus vitae organico-animalis, nec non cum specialibus muniis singulorum systematum et organorum conferre non pigeat, — supradictae corporis humani metamorphoses periodicae non solum, sed etiam constitutionis epidemicae ratio varia, atque morborum popularium diversus character sine negotio intelligi poterunt. — Eaedem conditiones cosmicae et telluricae, quae sui praedominio, et eminenti influxu mox hujus, mox illius systematis organici, unius alteriusve visceris activitatem extollunt, deprimunt, aut qualitative laedunt, ideoque particularem vitae formam immutant, — primum quoque ponunt germen proclivitatum in morbos, sive diathesium constitutionalium, quibus neminem morta-

lium exemtum esse posse, facile liquet. Id quod de anni temporum vicissitudine valet, etiam de climaticarum differentiarum efficacia in modificandis vitae formis particularibus sentiendum est, eo nonnisi discrimine, quod priores *diatheses annuas*, *periodicas*, *chronicas*, posteriores contra *diatheses perennes*, *epichoreas*, sive *topicas* progignunt. — Persaepe ejusmodi diatheses clanculum delitescunt, ac permutantur, quin in morbosum prorumpant incendium, quod contingit, si occasionales vitentur causae, vel si tantum fuerit vitae robur, ut sub adversis et variatis circumstantiis salutis integritati conservandae par evadat. Secus latitans diathesis vel in morbum degenerat cognatum, suae quippe indoli analogum, vel saltem aegritudinibus aliunde exortis suum imprimit characterem; quam ob rem pro vario anni temporum statu eandem causam procatarcticam saepe longe diversos effectus concitare posse, nemo mirabitur.

Missis specialioribus disquisitionibus circa periodicas aut perennantes hominum constitutiones, cyclico anni temporum circuitu, aut stabili climatis ingenio inductas, limitabo argumentationem ad solum autumnum et clima udum, veluti spleni eminenter inimica. — Lien autonoma dignitate carens, hepati subjectum sistit satellitem. Princeps ejus munus stat in coadjuvanda cholopoësi. Deficiente jecore, superfluum quoque redderetur viscus supplementarium, nec ullum extat inter animantia, quod liene instructum foret, hepate absente. Insuper summam inter utrumque organon germanitatem probat status morbosus, qui vix unquam in alterutro viscere observatur, altero immuni. Eapropter radix labis splenicae cujusvis ferme semper in systemate cholopoëtico laeso quaerenda.

Fervore aestivo functionem jecinoris mirum in modum intendi, nemo medicorum ignorat. Sanguis prin-

cipiis phlogisticis onustus, inque systemate venoso abdominis uberius adcumulatus, quum languidior ibidem circulus remorae et congestioni magis obsecundat, copia insigni versus hepar urgetur. Hujus jam visceris adjumento defaecatur latex vitalis, scoria, ut ita dicam, in biliosam amurcam conversa, quae, si nulla adsint obstacula, suis educitur canalibus, inque fistulam alimentarem depluit; vel minima tantum in parte lymphaticis vasis resorbetur, eamque levém polycholiam parit, quam in homine aestivo et amphiscio absque ullis laesae valetudinis indiciis adesse videmus. Copioso igitur sanguine obrutum, et turgidum systema venae portarum splenicum cruorem recipere cunctatur, unde jam aliqua patet ratio congestionis in liene, cui ipsius organi textura tenera et spongiosa patrocinatur. Accedentibus modo circumstantiis externis, quae lienis potius, quam hepatis activitatem provocant, simulque luxurianti vegetationi faveant, plasticus nisus in organo jam ad satietatem pleno potentius exurgat oportet. Edocemur autem valentissimorum Physiologorum effatis, in liene sanguinem arteriosum dilui, sive quod idem est, ejus partem plasticam minui et solvi, serosum contra latioem augeri, proinde speciem hydrogeneseos, sive reductionis elementorum polarium in formam neutram, seu indifferentem (aquam) contingere. Quo posito concipi poterit major lienis ad illum atmosphaerae statum relatio, sub quo laticis aquosi praedominium viget, proinde etiam major ejusdem visceris in stases, infarctus et hyperepidoses proclivitas, ubi aër autumni pluviosi, vel climatis uliginosi et palustris gratia insignem adipiscitur humiditatis gradum.

Qualecunque in macrocosmo exsuperet elementum materiale, qualecunque dominetur principium dynamicum, sui ἀναλογον in microcosmo humano excitare consuescit. Aestiferis diebus, atque in zona torrida,

quae eis relate ad spatium correspondet, extricatio phlogisticae bilis, ac eminens humorum in *evaporationem* nisus; — hyberno tempore et in climate hyperboreo exuberantia fibrinae plasticae, sub oxygenii potestate majori facile *solidescentis*; — aequinoctiis vero, eisque analogo climate temperato et udo, uberior efformatio muci, seri, et albuminis, symbolam *formae liquidae* exhibentium, naturales sistunt vitae plasticae variatim modificatae effectus et productiones. — Neque solis *materiae organicae* metamorphosibus circumscribitur anni temporum potestas morbida, sed etiam super *incitationem vitalem*, et quidem inprimis super illam, quae inferioris ordinis munia regit, (efficientia biotica sphaerae gangliorum) manifestissimum exerit influxum; unde febrilium turbarum origo, earumque varius typus, variaque decurrendi ratio. Solstitia febres continuas sustinent; aequinoctia intermittentes pariunt, ea tamen cum differentia, quod progressiva veris evolutio paroxysmorum reproductionem sollicitet (typus quotidianus, et hemitritaeus), autumnalis contra regressio retardet (typus quartanus). — Ast nimis longe jam discessimus a nostro proposito, singulari morborum popularium reconditam genesin et naturam perscrutandi cupidine abrepti; quare praefixum rursus progrediamur iter.

Aliam cladem in Papiensi agro indigenam praebet *hydrops*, qui frequentia non minus, quam periculo terret; testantibus enim Nosocomii diptychis maximam quotannis edere solet funerum copiam. *Anasarca* et *hydrocoelia* potiores sunt formae; rariores ex adverso *hydrothorax* et *hydropericardion*. Non desunt equidem et hic loci colluviei serosae specimina e sporadicis causis oriunda, atque haec inter vix non communiora illa, quae inflammationum infauste judicatarum sequelas sistunt. Longe tamen crebriores sunt hydropes, quorum origo e constitutione endemica manat, atque hoc in-

tuitu tres species statuere licet. Mox pendent ab infarctu pervicaci viscerum abdominalium, hepatis aut lienis. — Mox febribus inducuntur intermittentibus, diuturnis, obstinatis, neglectis, maxime quartanis autumnalibus, quin manifesta in visceribus adpareat labes. Repetitae observationes nos edocuerunt, illas per eminentiam intermittentes in serosam colluviem niti, quarum paroxysmi criticis carent sudoribus; quare hydropes similibus in casibus obortos veluti speciem criseos erroneae considerare non piget, incitatae nimirum per superficies serosas exhalationis, cohibiti sudoris vices agentis, effectum. Prae caeteris tali modo degenerant febres quartanae duplicatae, et triplicatae, si, neglecto remediorum solventium usu, ante tempus cum cortice febrifugo tractantur. — Mox tandem hydrops, tam catholicus, quam abdominalis, nulla alia labe praecedente, primitus evolvitur, directam ab atmosphaerae conditione originem depromens. Hujus jam hydropis protopathici nosogeniam quidquam curatius inquiremus.

Quo minus efficax fuerit lusus virium in atmosphaera, eo minus haec suam crasin normalem, suamque vitam, si dicere fas est, conservare valet. Infracta igitur potestate adsimilante, qua aër pollet, formationi productorum ei impropriorum, uti essent vapores aquei, necessarius non opponitur renisus, ideoque dominatum adipiscuntur fomites, quorum in aëre puro, sano et intemerato nulla esse deberent vestigia. Praevalens autem processus hydrogeneseos in atmosphaera, secundum legem paulo ante adlatam, in cunctis entibus vivis analogum processum concitat. Vegetatio quidem magis luxuriat, ast multo minorem intensivae perfectionis et bonitatis gradum adsequitur, unde plantae magis tenerae, succulentae, inodorae, fructus aquosi, insipidi, uti reapse in humidis admodum nostri agri terris observare est; homines fiunt laxi, leucophlegma-

tici, inertes, pallidi, hydropici; latices vitales enim requisitam plasticitatem adtingere nequeunt, primordialem, seu aqueam formam retinentes.

Aër multa gravidus aqua, vapores de corporibus recipere ac dissipare minus aptus, jam vel hoc intuitu exuberantiam serosi laticis producere debet. Accedit autem, quod per ipsam cutis superficiem aëre continuo circumfusam vapores aquei jugiter absorbeantur, quorum copia in liquidam formam condensata, et viribus digestricibus systematis lymphatici superior, vasorum alveos replet, solida laxat et mollit, humores solvit et diluit. Si modo renes exuberanti latici aquoso eliminando renituntur, membranae serosae ob intimum cum eis et cute consensum ad vividiores concitantur reactiones, superfluum liquorem e massa circuli educere molientes. — Notavit jam Zacchia in suis quaestionibus medico-legalibus (Lib. V. Tit. 4. Q. 7.) hortorum cultores cachexia et hydrope persaepe laborare; cum enim in locis humidis, ob adsiduam irrigationem, qua horti indigent, oogantur degere, non possunt illorum corpora, quin multum humiditatis combibant. — Hodierno autem aevo, quo inhalans cutis potestas inconcussis experimentis evicta est, multo clarior evadit hydropis ex hocce fonte genesis, cui confirmandae plurimum etiam conferunt morbi symptomata. Cutis constanter sicca, et arida, efficacissimis renititur diaphoreticis; sitis, aliis hydropum speciebus adeo familiaris, vix molestat; lotii quantitas eam potus ordinario superat, colluvie serosa nihilo minus indies crescente. Hocce hydrogeneseos praedominium in organismo sub infaustis climatis humidi circumstantiis vivente demonstrat quoque singularis plerorumque morborum acutorum in effusiones nisus, quem inflammationum frequens transitus in hydropes cavorum, forma erysipelatis bullosa, atque vesicularis modificatio urticariae, scarlatinae,

aliorumque exanthematum haud rara, ultro corroborare juvant. Fortasse et ipsa morborum rheumaticorum summa frequentia ab eadem causa quodammodo repeti potest; si enim membranae serosae magis actuosae esse debent, ut promptiore secretione et absorptione aequilibrium desideratum sustineant, avertantque funestas sequelas justo vividioris hydrogeneseos, eas etiam a levioribus causis facilius offendi posse, ratio suadet.

Singulari tandem mentione, inter morbos vernaculos, digna est specifica illa cachexia, *pellagrae*, sive *leprae langobardicae* nomine nota, quae jam a medio saeculo elapso in variis Insubriae Austriacae provinciis, maxime in Bellunensi, Patavina, Mediolanensi, Comensi, in Ticinensi, et limitropha Laumellina successivo passu radices fixit, atque utilissimam habitantium catervam dire permulctat.

Obscura hujus morbi vestigia jam anno 1578 inveniuntur, quo venerandum Capitulum Nosocomii Mediolanensis omnes illos, recipi jussit aegros, *che sono infermi di Pellarella*, etc.: — Primas notiones indubias vero debemus Frapollio et Odoardio, quorum prior novam hancce cladem in Provincia Mediolanensi anno 1771, alter in Bellunensi anno 1776 observavit, atque descripsit. In agrum Ticinensem pellagra non videtur irrepsisse, nisi circa annum 1784, quo saltem in Nosocomio civico prima visa fuere exemplaria morbi tunc adhuc ignoti, vel saltem non observati, cum nec a Burserio, nec a Tissoto mentionem factam fuisse constat.

Dolosa esse solent morbi initiantis, et plerumque clanculum irrepentis primordia. Adparet ineunte vere sub schemate erythematis solaris, — unde vulgare nomen *Mal del Sole*, — et quidem in illis superficiei cutaneae locis, quae aëri, solisque ictibus continuo exponuntur, uti super dorsum manuum et pedum, in

facie, collo, cervice, et sterni plaga; neque alia, praeter dysphoriam, languorem, inappetentiam, febriculam, ac levem cutis pruritum et ardorem, producit incommoda. Indefinito aliquot hebdomadum, aut mensium intervallo transacto, epidermis incrassata et fusca sese desquamat, cutim relinquens integram, levigatam, nitidam, sensibilem, coloris rosei. Pellagrosi itaque superveniente aestate non secus ac angues exuvias deponunt, illisque, ut Persii verbis utar, nil nisi *adsiduo curata cuticula Sole* nitet; reliqua enim anni parte sat prosperam jactant valetudinem.

Redeunte proximo aequinoctio vernali, vel etiam aliquo interposito, morbus iterum invadit eadem sub forma, sed manifestioribus jamjam sociatus turbis, quae praesertim in organis et muniis officinae plasticae adparent. Ergo non solum extima corporis confinia cum naturae injuriis colluctantia, sed et ipsa penetralia, ubi vestalis ignis nativos Lares et focum habet, insidiosae luis noxam patiuntur. Primam tyrannidem exercet super fistulam gastro-entericam, quae mox irritationis inflammatoriae, mox torpidae inertiae indicia patefacit; in utroque casu virium languor notabilis, et fluxus dysentericus comes it. Sub ejusmodi rerum statu morbus facili negotio febrem gastro-pituitosam, dyspepsiam, vel catarrhum intestinalem simulare poterit, nisi praecipua in abnormem systematis dermatici statum convertatur adtentio. Repetito illius erythematis reditu cutis in plagis adfectis particularem nanciscitur habitum; nunc fit aspera, caperata, squamosa, fissa, nunc coriacea, pergamenae non absimilis, tensa, nitens, et adusta. Quo crebrius recurrit malum, eo majorem adtingit pervicacitatis et nequitiae gradum, eoque perniciosiores intus cuniculos agit. Nullas amplius relinquit inducias, neque ad cutim et velamenta mucosa primarum viarum duntaxat circumscribitur, sed uni-

versum processum vegetativum in qualitate depravat, et cacotrophiam sui generis parit, quam brevi anasarca, hydrocoelia, scorbutus, marasmus et multifaria profluvia colliquativa sequuntur. Hoc in casu ipsa labes cacodermatica jamjam perennat, *Psoriasi diffusae* Willani, aut *Leprae graecorum* analoga; haud raro ad ungues usque protenditur, corneam eis conciliando texturam (caconychia), vel in ulcera tibiarum degenerat.

Ast neque nobilioribus processus vitalis sphaeris parcit inexorabilis clades, inprimis si sub continuato injuriarum maleficarum influxu, dispositione aegri valetudinaria, et curae neglectu profundas egerit radices. Sat crebro functiones systematis nervosi eum in modum pervertit, ut ibi et principem passionem, et malorum focum facile argueres, nisi mentem ad comitem cutis turpitudinem, et isochronam totius reproductionis organicae labem convertas. Sphaera sensitiva gangliaris, eique insidens coenaesthesis, prae aliis phaenomenorum morbosorum satellitium exhibent. Scotodinia, seu vertigo caliginosa, marmarygae, torpor, myrmekismus, anaesthesia, et hypochondriasis potiores esse solent nevrosium formae, quas diathesis pellagrosa ludit. In aliis turbae comparent, quae medullam spinalem in consortium tractam aperte indicant, uti tetanicae contracturae artuum, et praecipue digitorum (Anchyle), dolores lumborum, et ad plantas pedum. Serius tandem, si morbus inveteraverit, ac veluti in venis et medullis haeserit, supremae quoque laeduntur sensorii communis facultates, variaque psychopathiarum schemata suboriuntur. Frequentissima est illa species hebetudinis, quae Heinrotho *Anoia* ἀβουλη vocatur; talis nempe animi obstupescentis adiaphoria, ut aegros omni fere voluntate carentes, adtonitos, et quasi ecstaticos cernas. Alii moerore alto adfliguntur,

(Lypemania), praesertim feminae, societatem fugiunt, flent, gemunt, inter verba desipiunt, ac de salute physica, aut morali desperantes, suicidio miseriarum finem adtingere non abhorrent. Ad huncce insaniae gradum perductos pellagrosos lubentissime submersione mortem sibi adsciscere, cujus observationis fidem praestavit Clar. PETRUS MOSCATI, propria experientia non vidimus confirmatum, utut octenni temporis intervallo centenos pellagrae casus ante oculos habuerimus.

Quod ad Pellagrae causas, originem, atque naturam adtinet, quamplurimas medici tuentur sententias. FRAPOLLI insolationem; FANZAGO et MARZARI victum pravum, et speciatim usum ordinarium frumenti turcici (Zea Mays); JAHNSEN contagium sui generis; THOUVENEL pravam atmosphaerae qualitatem; CERRI specificam climatis conditionem criminatur. ODOARDI causam proximam morbi in dyscrasia scorbutica, STRAMBIO in obstructionibus viscerum abdominalium, WIDEMAR in peculiari systematis nervei adfectu, hypochondriasi non absimili, Jos. FRANK in diathesi leprosa reponit. — Longe alienus, quam ut cunctas hasce opiniones analyticae et epicriticae subjicere perquisitioni, vel omnem eis veritatis particulam abnegare vellem; id tamen sine haesitatione proferre audeo, ne unam quidem morbi genesi illustrandae, aut revelandae sufficere, et nonnullas, uti v. g. illa de contagio specifico, de diathesi scorbutica, prorsus erroneas esse.

Quicunque pellagram ab unica tantum causa derivare satagit, et quidem a tali, quae aliis pari jure competebat et competit temporibus et locis, uti essent insolatio, victus pravus, usus farinae Mays, emphraxes viscerum abdominalium, etc. — nullam reddere valebit rationem, cur eadem lues non etiam in aliis regionibus occurset. Qui vero specificum contagium (nulla caeterum solida experientia evictum), vel specificam

coeli qualitatem conjectat, nubem pro Junone amplectitur, ac lucem in tenebris quaerit; *specificam* enim cujusdam rei indolem declarare, atque ignorantiam fateri, fere idem esse videtur. Si una tantum ac determinata causa ad morbi ortum sufficit, tunc ista eminenti potentiae gradu polleat, necesse est; hoc autem posito vix suspicandum foret, eam tot medicorum valentium adtentionem hactenus effugere potuisse. Plures ex adverso si concurrunt noxiae, graviorem aegritudinem concitare valebunt, etiamsi singillatim spectatae levidenses fuerint, numero resarciendo id, quod singulis efficacia deficit; quo in casu nil mirum profecto erit, si oculatissimi etiam observatoris acies mysteriosae geneseos caliginem dissipare nequeat. Securior itaque mihi videtur via, pellagrae originem perquisituro plures injurias morbidas prae oculis esse habendas, quarum plures, immo pleraeque seorsim consideratae diversis quidem communes esse possunt plagis et populis; sociali vero foedere conjunctae nonnisi in Solo Insubrico, et a paucis tantum decenniis occurrunt, taliqne pacto huicce climati potestatem conciliarunt, propriae cladi producendae idoneam. — Universe in rebus dubiis, et magnis difficultatibus involutis plures causas proferre non incongruum est, donec ex multis una habeatur, cui mens veritatis avida acquiescat; nam, ut recte monet Lucretius (Lib. VI.),

Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
Non satis est; verum plures, unde una tamen fit.

Potiores, quae pellagrae culpam gerere videntur, causas reponimus: *in insolatione, atmosphaera humida, nebulosa, et mephitica, ejusque effectibus, in vivendi ratione prava*, et *miseria sui generis*. Insolationi nullam aliam tribuimus vim, quam quae statui cacodermatico, ceu *morbi formae*, producendo par est; reliquae contra specificam illam systematis reproduc-

tivi labem cacotrophicam proliciunt, quae *morbi essentiam*, sive conditionem, ut ajunt, pathologicam constituit.

Ante omnia monendum, pellagram, utut mali epichorei nomen jure mereatur, quatenus determinatis tantum globi terraquei plagis propria est, nequaquam cunctis indiscriminatim locis et hominum classibus esse infestam. Parcendo urbibus populatis, ad oppida pagos, et villas rusticanas planitiei Cispadanae circumscribitur. Sed nec ibi aequali diffusa cernitur proportione; sunt enim conductores praediorum, commodiorem agentes vitam, bovilium custodes, opiliones, caprimulgi, infantes, ac senes decrepiti a pellagrosa lue plerumque immunes. Per eminentiam succumbunt agricolae, et hos inter creberrime foenisecae, segetum, pratorum irriguorum, et oryzariorum cultores, atque hydrophylaces, qui fossas inciles custodiunt, et moderantur.

Quae *insolationis* vim in concitanda labe dermatica pellagrosorum confirmare juvant, argumenta, tot tantaque sunt, ut omni dubio dissipando sufficiant. Morbus constanter invadit mensibus Martii et Aprilis, quibus Sol planitiem Cispadanam insigni vi verberare solet. Illa tantum adoritur individua, quae post hybernam desidiam campestres accedunt labores, parcit e converso umbratilem et domesticam vitam agentibus; neque in aliis (morbo inveterato excepto) emicat superficiei cutaneae partibus, quam quae Solis influxui continuo sunt expositae. Demum maxima inter cacoderma pellagrosorum et erythema solare viget similitudo; si quis enim pellagrae nunquam visae imaginem sibi efformare cupit, cutem Solis radiis adustam prae oculis habeto. Haec autem decoloratio fusca, quae laesam reticuli Malpighiani conditionem clare indicat, certum praebet influxus solaris testimonium; nam arctissimam pigmenti

subcutanei ad lucem relationem nemo physiologicis doctrinis imbutus ignorat.

Singularem vero adhuc considerationem merentur quaedam circumstantiae particulares, quae cutim ruricolarum nostratum ita disponunt, ut caeteris paribus longe facilius apricationis injurias experiantur. Dum annus extremo senio confectus labitur, et arva undique niveo cooperiuntur vellere, cessant agrestes labores, eosque deses et otiosa excipit hyematio. Quam plura munia hybernis diebus perficienda, more introducto, exteris committuntur gentibus, quae vel e montibus Ultrapadanis, vel e collibus Hesperiis lacus Verbani turmatim descendunt ac per nostrum agrum dispalantur, ligna caedunt, arbores tondent, arbusta et vites putant, fasces atque vitilia colligunt et colligant. Agricolae nostrates interim parum faciunt, vel prorsus otiantur, propriis, iisque pessimis reclusi tuguriis, quae praeter necessaria commoda ipsius lucis diurnae benefico influxu carent; etenim ruri paucissimas tantum fenestras vitris instructas, plerasque sordida charta obvelatas invenies. Increbescente algore tandem campestris popellus, lignorum penuria coactus, interdiu saltem tristes derelinquit aediculas, inque stabulis angustis, humidis, et obscuris coacervatur; feminae insudant prolium curae, ac linea stamina tereti devolvunt fuso; mares garriendo, digitis micando, juvencas custodiendo, aliasque artes umbratiles exercendo hyberna fallunt otia. Si modo perpendimus sub ejusmodi vitae regimine organismum a Solis et lucis stimulo quasi desuefieri, nebularum contra udore, ac bovilium vaporoso et mephitico aëre cutis superficiem continuo foveri, humectari et emolliri, certe non mirabimur amplius in eodem systemate organico insuetam teneritudinem et sensibilitatem induci debere, quae primis verni Solis impressionibus ociter obsecundat, ac ad

vividiores reactiones, ab irritamentis caeterum minus heterogeneis, concitatur. Ast neque hic solum consistunt injuriae cuti infensae. Accedunt insuper: sordes cutis per hyemem augmentatae, et neglectus munditiei cultus in gente, quae veluti aversionem balneorum et lavacrorum, etsi tempestas faxerit, habere videtur; — agrorum et pratorum stercoratio, ceu primum et praecipuum agricolarum munus, quod exantlata bruma exercere solent; — insignes et continuae vicissitudines, quibus exponi coguntur, modo enim molli Austro, modo aspero Aquilone perflati, modo pluviis, nebulis, rore, propriisque sudoribus madefacti, modo solaribus radiis perusti, utut duro de robore nati, tam magnas mutationes absque detrimento perferre nequeunt; — tandem pravus ille mos, totam diem in agris sub divo transigendi, ipsiusque Solis meridiani ferventes ictus spernendi.

Licet tali modo extra dubitationis aleam positum sit, apricationem vernam principalem sistere causam erythematis illius squamosi, quae specificam pellagrae formam efficit, simulque complures concurrere circumstantias, quae systema dermaticum ad Solis influxum promptius et gravius percipiendum magis idoneum reddunt; — praeproperum tamen foret judicium, a sola hacce prophasi universam diathesin morbosam, sive specificam illam metamorphosin processus organico-plastici, quae morbi essentiam ponit, repetere velle. Hanc a longe aliis causis derivare fas est, et quidem a localibus, sive climaticis potius, quam a cosmicis, quatenus de endemico agitur morbo, — a materialibus potius, quam dynamicis et imponderabilibus, quatenus pellagra non solius cutis, sed universae oeconomiae animalis, non incitationis, sed vegetationis labem sistit. Insolatio itaque nil nisi germen in

penetralibus occulte delitescens animare, ejusque surculos versus corporis peripheriam dirigere juvat.

Atmosphaeram humidam, crassam, et nebulosam ad ortum cachexiae pellagrosae, in connubio cum aliis potentiis morbidis, suam quoque contribuere symbolam, complura conjicere sinunt argumenta. Ager Patavinus, Mediolanensis, Laudensis, Ticinensis, et Laumellina, — quibus cunctis coelum udum est ob inundationes crebras et vastas, pascua irrigua, aquas stagnantes, oryzae sata, — maximum pellagrosorum offerunt numerum. Morbi prima vestigia in illam cadunt epocham, qua systema agriculturae irrigatoriae in Insubria majorem universalitatis accepit gradum, eademque proportione crevit luis gravedo et frequentia. Extant, — praeter grandem illam vallem, quae Leprae langobardicae natales largitur, — plures aliae regiones, queis endemicas, et secus ignotas cutis turpitudines generandi potestas inest. Exemplo sit *Morbus ruber Cayennae, Morbus Crimensis, Herpes Aleppicus, Radesyge Norvegica, Sibbens Scotiae, Rosa Asturiensis*, etc. Cunctas autem hasce plagas coeli udore et squalore eminere, peregrinatorum testimoniis exploratum habetur. Ipsa *plica polonica*, morbis cutaneis jure accensenda, in illis maxime diffunditur locis, ubi Vistula, aliave flumina crebris alluvionibus lacus et paludes creant. Scio equidem mox enumeratas cacodermatum species inter et pellagram notabile discrimen esse, una enim ad lepram, alia ad herpetem, ad scorbutum, aut syphilidem denuo alia accedit, excipiendo Rosam asturicam, quae si non identicum, saltem summe analogum lui pellagrosae morbum constituit; — juvat tamen conspectus ejusmodi comparativus, ut persuadeat de climatis humidi in pervertendo systemate cutaneo efficacia. Computando demum quotidianas et inconcussas observationes, quae

docent clima humidum et palustre, atmosphaeramque nebulosam feracissimum esse cachexiarum cujusve fere generis fontem, infirmantur dubia eorum medicorum, qui hancce causam ab omni culpa in genesi cachexiae pellagrosae immunem esse volunt. Nec reluctari videtur adsertioni nostrae dominium pellagrae in apricis collibus Briantinis, in montosa provincia Bellunensi, Brixiana, Bergomensi et Comensi. Inprimis hae regiones, quamvis elatiores, aequoris nebulosi et roscidi in limitrophis plagis extricati, per adeo vastam extensionem diffusi, ac ventis persaepe commoti influxum non possunt non experiri; denique humiditatem neque unicam, neque principalem causam esse defendo, sed eatenus solum ad pellagrae ortum concurrere opinor, quatenus processum plasticum organismi humani in qualitate pervertit, compagem solidorum laxat et mollit, robur vitae hebetat, atque potiora reproductionis organicae instrumenta, uti cutem, fistulam alimentarem, viscera ejus succenturiata, atque systema lymphaticum in suis pervertit muneribus. Hanc ob rationem nec diathesin febrium intermittentium, nec viscerum emphraxes, monente Strambio, ceu remotiorem concausam excludere vellem.

Infirmo prorsus talo insistere videntur ratiocinia et corollaria eorum Medicorum, qui victus pravitatem, et speciatim usum *polentae et panis, e farina granorum Zeae Mays confecti*, ceu universalem pellagrae causam proclamant. — Zea Mays, unacum Nicotiana Tabaco, aliisque plantis utilibus Anno 1493 per Christophorum Columbum ex Insulis Indiae occidentalis in Hispaniam fuit invecta (Barcia Historiad. I. 24). Paulo post e novo orbe in S. Thomae insulam, inde per Lusitanos in Indiam orientalem, serius in Aegyptum, Asiam minorem, tandem hac via in Italiam, ac reliquam Europam celeri passu divulgatam fuisse constat;

unde erroneam Fuchsii (1542), aliorumque opinionem de Asiatica plantae progenie, atque ineptum nomen *grani*, sive *frumenti turcici* ortum duxisse, verosimillimum est. Zea Mays itaque jam a tribus et ultra saeculis per Europam colitur, ipsisque Insubriae accolis ab indefinita annorum serie quotidianum praebet pabulum; Pellagrae morbus contra nonnisi a sexaginta circiter annis innotuit. — Non solum in variis Italiae regionibus, et ut proximas adtingamus, in Ultrapadana et Placentina provincia, sed etiam in remotioribus, immo remotissimis plagis, in Tyroli, Hungaria, Bukowina, Insulis Antillis, vulgatissimus esse solet hujus faris inter pauperes, et praesertim inter agricolas usus, quin tamen pellagram vel nomine noscant. Idem valet de infima plebe urbana, cui non minus, quam campestri communis est polentae cibatus. Immo lignicidae e collibus Ultrapadanis et Novariensibus Ticinensem et Mediolanensem agrum commigrantes, — vulgo *Montanari*, *Resegotti*, *Potini* dicti, — sola victitant polenta, et tamen a pellagrosa labe immunes vivunt, paucissimis tantum individuis, qui hunc agrum diutius incolunt, exceptis.

Hisce igitur innixus factis et observatis fercula e farina Mays parata neque pro unica, neque pro praecipua causa Leprae insubricae agnoscere propendo; longe tamen absum, quam ut in laudem hujus cerealis prorumperem, quod immo multis aliis longe inferius esse arbitror. Quantascunque oeconomico intuitu offerat praerogativas, respectu sanitario ad eandem cum Festuca, Milio, et Fagopyro classem relegari debet. Nutriens, ac proinde praefixo scopo annonario correspondens virtus cerealium augetur, vel minuitur cum glutinis quod continent, quantitate aucta vel imminuta; hocce enim principium naturae animali quam proxime accedit. Jasnüger farinam Zeae Mays glutine destitutam

esse defendit; Franc. Marabelli (1) et Jos. Moretti, clarissimi nostri Athenaei Professores, iteratis experimentis praesentiam materiae vegeto-animalis glutinosae evicerunt, copia tamen exigua, et qualitatis diversae ab illa, quae in tritico et oryza ordinario et abunde invenitur. Gluten farinae Mays offert texturam filamentosam, elasticitatem multo minorem, estque coloris flavicantis in gratiam substantiae resinosae admixtae. Hanc ob rationem panis inde paratus, etsi aliqua ingrediatur farinae secalinae portio, siccus, friabilis, ponderosus, facile acescens, ac dyspeptus evadit, in ore, ut vulgo ajunt, intumescit, ac difficulter deglutitur, nisi potu diluatur bolus, fauciumque via lubricetur. Ipsa polenta, quae paratur ex farina in aqua, addito pauxillo salis, ad consistentiam pultis duriusculae cocta, etsi digestu facilior, quam panis, illibatum postulat ventriculi robur. Patet inde, usum solius farinae Mays, condimentis privum, nullisque aliis salubribus eduliis interpolatum, adsimilationis officinam necessario offendere debere, tanto quidem magis, si tot aliae concurrant circumstantiae, quae universi organismi, et speciatim virium digerentium robur infringunt, prosternunt, pessundant.

(1) De Zea Mays planta, analytica disquisitio, auctore Francisco Marabelli. Papiae. 1793.

In progignenda pellagra *miseriam* maximi momenti prophasin esse, omnes unanimiter defendunt practici, ea moniti observatione, quod morbus in hominibus infimae tantum sortis suam ingluviem depascitur, opipare viventibus parcendo. Objicere quidem aliquis posset, paupertatis imperium adeo vastum esse, ut nulla sit hujus orbis plaga, in qua maximus incolarum numerus sub duro ejus jugo gemere non cogeretur; pellagrae territorium e converso arctioribus tantum circumscribi confiniis. Notandum vero est, in plebe misera

et paupertina, quae Insubriae terras colit, particulares concurrere circumstantias, quae non modo altiorem egestatis gradum determinant, verum etiam proprium ei imprimunt characterem, ita ut non sine jure miseriam Insubricam *specificam* dicere posses. Quatenus ex hocce fonte, una cum injuriis climaticis et atmosphaericis, praeter pellagrosam cacotrophiam, plurima alia scaturiunt mala epichorea, quorum mentionem jam supra fecimus, brevem duntaxat hypotyposin tristissimae sortis, quae populum campestrem in nostro agro dire premit, subnectere non pigebit.

Sub maxima naturae in largiendis segetibus et fructibus fertilitate, rerumque omnium, quae ad primas vitae necessitates spectant, abundantia, coloni non paterna rura bobus suis, ut de prisca gente cecinit Poëta Venusinus, sed aliena perpetuis laboribus exercent, suisque sudoribus impraegnant. Diviso quovis potentiores inter atque divites Reipublicae agro, ut verbis incomparabilis Petri Frank utar, disparitas plebeis ab ipsis jumentis alia vix superest, nisi quod haec praecedant, trahantque aratra; illi dirigant, et sequantur. Possessores, reditus suos quotannis augere studentes, praediorumque conductores et villici, ut avaritiam domini expleant, sibique simul prospiciant, ruricolarum serviles labores, vel dicam potius mancipiorum, unice in propriam convertunt utilitatem, nullo prorsus ad eorum salutem, vel privata commoda respectu habito, graviora sane, quam exhausta corpora ferre possunt, munera imponendo. Heu! quam deploranda conditio eorum, qui tenue lucrum propriae nedum valetudini, verum vitae etiam anteponere coguntur! — Quodsi jam consueta agricultorum officia, sub quavis coeli intemperie perficienda, notabile virium dispendium inducant, multo majora discrimina parit pratorum irriguorum, et praesertim oryzariorum cultura.

Infelices tota die aëris injuriis expositi mox madent imbribus, mox ventis arescunt, mox Solis fervore aduruntur; sive tenacem terram arent, aut gravi ligone subigant, sive seminent, sive nascentibus culmis immixtam zizaniam incurvato, ac veluti repente corpore evellant, sive maturas spicas colligant, mergetesque colligent, — semper cruribus ad genua usque aquae immersis id perficere debent, ideoque multo facilius atmosphaerae inclementias experiuntur. Insignem vero roboris jacturam gignit fatalis ille apud nostrates agricolas introductus mos, campestribus laboribus sine inducia ab Aurora ad labentem usque Hesperum insudandi, nulla igitur meridiani Solis ratione habita, cujus damnosum influxum prudentiores, ac propriae saluti magis consulentes coloni aliarum regionum sollicite fugere consuescunt, opaca umbrae frigora quaerendo, fessaque membra quiete, etsi brevi refocillando.

Quum nec utero gestantes, nec puerperae a duro mancipii jugo sint exceptae, tenera proles jam in primis vitae suae momentis maternos inter planctus et suspiria inopiam pati, ac marcescere debet; ubera enim vix tantam parare queunt lactis copiam, quanta infans, ut probe nutriatur, indiget. Et si fortuito in matre juvene, atque robusta altilis liquor largiori fluxerit rivo, spes lucri, ac desiderium aerumnas leniendi propriam prolem benefico alimento defraudat; ubera enim sua alienae matris pusionibus mercede conducta praebet, cum paucae tantum sint matres, infimam si exceperis plebeculam, quae proprio lacte liberos educant. Sic unicus ille futuri roboris fons paupertino infanti negatur. Leniunt quidem ploratus, urgentemque famem sedant farinaceae pultes, ast pari tempore prima ponunt malorum germina, serius ocyus in sonticas lues eruptura.

Infantiae pericula feliciter eluctati, ac puerilem aetatem consecuti novis exponuntur difficultatibus. Vix corporis vires quicquam valent, statim duro, ac tenelli organismi robur facile superanti labori adstringuntur, easdem, quas parentum egestas parit, calamitates pati coacti. — Longe maxima vero salutis detrimenta pullulant ex alimentorum penuria, et qualitate tali, quae nec viribus labore et sudore fractis restaurandis, nec animo demisso exhilarando sufficit.

Maximus plebis rusticanae numerus vescitur polenta e farina granorum Mays parata, omni blandimento priva, vel ad summum oleo, aut lardo rancido condita, atque pane ex eodem fari confecto, male fermentato, ponderoso, male pisto, haud raro jam mucido et acescente,

Nam tener et niveus, mollique siligine factus
Servatur Dominis.

JUVENAL. *Satyra* V.

Quin immo festis etiam diebus plerumque sacrum sine fumo, ut dici solet, celebrare illis necesse est. — Optimum adhuc cibum, cui ferme unice salutem precariam debent, largitur oryza, cum aqua, lardo et sale, mixtis ex consuetudine phaseolis, fabis, aut brassicae tenui portiuncula, in juris pultacei speciem redacta, cui vulgare nomen *Minestra* impertitur. Carnes bubulae, aut vitulinae a misera plebecula pene nomine noscuntur, et paucis tantum diebus in anno gustantur. Caro suilla sale, aut fumo condita, et in botulos conversa, caseus, ranae, et pisciculi oleo frixi, pariter nonnisi cupediis adnumerantur. — Sub vastissimo Cereris imperio, negligitur Pomonae et laetificantis Lyaei cultus. Quum igitur in Agro Ticinensi rara sint pomeria (si excipere velis plagam fructiferis arbustis ditissimam, ad isthmum inter Ticinum et Eridanum confluentes sitam, quam *Siccum mare*, vulgo *Sicco-*

marium vocitant), fructibus horraeis recreari vetat horum penuria, et qualitas ob irriguum solum minus exquisita. Itidem vitum paucitas vini inopiam, saltem inter pauperes colonos creat; quod enim e vitiferis terris Ultrapadanis insigni nobis advehitur copia, ob gravia portoria tanti pretii esse solet, ut gens egena huic solamini nonnisi raro indulgere possit. Idcirco potus ordinarius popelli campestris est aqua, haecque persaepe stativa et prava. Quo curas diebus festis lenire student, vinum, plerumque infimae notae, adulteratum, effoetum, acidum, vel plane corruptum, saluti magis noxium, quam proficuum evadit.

Non minora discrimina ex eodem miseriae fonte progerminant in contuberniis. Domunculae angustae, humidae, sordidae, aestivis caloribus eum in modum peruruntur, ut fornacem magis, quam humanum habitaculum diceres, unde corporibus labore fessis neque nocturnam concedunt quietem. Saeviente contra hyeme frigora et ventos undique admittunt tuguria munimentis priva, atque concurrente simul penuria lignorum habitantes ad jumentaria in stabulis contubernia condamnant, ubi saltem ab inclementiis tempestatis tuti hyberna fallunt otia. Haud parum quoque agricolarum sanitati officiunt: summa spurcities in casis, lectis et vestimentis, neglectus balneorum usus, atque detrimentosa illa incuria, qua laetamen pro agrorum stercoratione destinatum cumulant ante bubilia, haras, propriasque domos, quas revera Augiae stabulum dicere posses. Nisi ab infantia ejusmodi sordibus adsueverit corpus, in tanto squalore servari posse vix crederes.

Tot tantisque jam injuriis et calamitatibus oppressum ac permulctatum corpus, etsi compagem firmissimam nactum foret, non potest, quin multifariis, iisque summe ambiguis succumbat malis, quae ante omnia vitae radicem arrodunt, illam quippe processus vitalis

sphaeram, quam organico-plasticam, seu vegetativam vocamus. Hinc squalidus ille, tristis, ac sollicitus habitus agricolarum, qui udas et devexas agri Papiensis regiones incolunt, perinde quasi nuper e Trophonii specu fuissent reversi; hinc statura parva, facies tumidula, pallida, chlorotica, aut flavida, membra strigosa, cutis aspera, foeda, rugosa, senium praematurum, longaevitas rara; hinc feminarum catamenia parca et inordinata, abortus frequentes, leucorrhoeae, uteri et vaginae prolapsus, virorum herniae, haemorrhoides, tibiae exulceratae; hinc demum malorum ilias, emphraxes hepatis et lienis, diarrhoeae, dysenteriae, scorbutus, hydrops, tabes, ac pellagrosa lues, quorum omnium, aut et singulorum origo uni, ut jam diximus, causae perperam adscriberetur, e pluribus nonnisi noxiis una concurrentibus, in miseria veluti focum agnoscentibus, atque laetae salutis vigorem dolosa ac fere insensibili ratione pedetentim subvertentibus eruenda.

Inconcussis experientiis exploratum habuimus, Nosocomii aulas eo majori aegrorum numero impleri, quo plures ex parte anni temporis, tempestatis, laborum agrestium, et calamitatum universalium concurrant maleficae circumstantiae. Maxime funesti fuere anni 1816 et 1817, quibus rei annonariae angustia deplorabilem in nostro agro induxit egestatem; etenim non solum increvit morborum epidemicorum, epichoreorum, et praesertim pellagrae frequentia, verum et depopulans typhus contagiosus, classico calamo et singulari eruditione a doctissimo Omodeo delineatus, enormes edidit strages. Ab illa inde epocha pedetentim mitescere occepit pellagra, eaque rarescere proportione, qua agricolarum sors in melius conversa fuit sub redeunte frugum abundantia, et benefico firmae pacis sidere.

Urbis accolae quidem immunes vivunt a pellagrosae labis tyrannide; sed ejus loco vix non tristioribus occumbunt malis, quae jam a teneris unguiculis succum et sanguinem corrumpunt, atque depravant. *Rachitidem* intelligo, et *Scrofulam*, funestissimos illos valetudinis humanae hostes, qui, vitae evertendae impares si fuerint, suam saltem iram in venustatem et eurhytmiam corporis evomere non praetermittunt. Inde tot pygmaei, vari, valgi, compernes, quibus redundat Papia, nullatenus vero hoc intuitu Mediolanum superat. Quod atmosphaera humida et nebulosa, quatenus organicam çompagem laxat, et virium robur deminuit, haud parum ad ortum osteomalaciae infantum et scrofulae contribuat, non inficior. Longe vero uberiorem fontem procul dubio largitur pravus infantes educandi mos, quo tenellus organismus vitiosa contrahit germina, ejus evolutioni et perfectioni renitentia, atque ocyus seriusve in pessimas lues eruptura. Nutricatio ad ubera feminarum mercenariarum; cibi farinacei, glutinosi, digestu difficiles jam tenera infantia sine cautione porrecti; negligentia victus animalis, munditiei, et exercitii corporis in aëre libero; tandem otiosa pusionum bi-aut trimulorum contubernia in angustis, obscuris, humidis, non eventillatis cubilibus, Scholis passim dictis, — quo a minus teneris per totam diem deponi solent matribus, ne propriae prolis planctu ingrate feriantur aures, potiores sunt injuriae, quarum concursu non solum processus evolutionis organicae progressivae impeditur, desideratum adtingere nequiens perfectionis culmen, sed plane polis inversis in regredientem convertitur. Lympha nutricia ad potentiam albuminis, aut fibrinae evehi recusat, vel eo evecta denuo in viscosum dissolvitur gluten.

Secundum coelorum discrimina, praeter physicas corporis perfectiones et imperfectiones, multae quoque

tum *mentis*, tum *morum varietates* adolescunt. Rectissime idcirco scripsit Hippocrates: » *Sapientiam cerebro, si sanum fuerit, exhibet aër;* » — quod satis ostendit, aërem ingenia, quae peperit, non minus ac illa, quae diu complexus est, atque educavit, juxta propriam temperiem flectere, acuere, vel retundere, uno verbo componere et conformare. Nec abs re vulgatum illud, quod tales sint corporis nostri spiritus, qualis aër; iis enim in locis, ubi aër tenuior est et defaecatior, vividiora et acutiora ingenia florere solent; ubi vero crassus et nebulosus, hebetiora, tarda, et retusa, quare Baeoti et Batavi jam antiquitus male audiebant:

Baeotum in crasso jurares aëre natum.

Qui igitur cunctas animo pervolvit circumstantias saluti infensas, sive in climate, sive in vivendi ratione repositas, quarum potiores perfunctorie indicavimus; qui simul intimum inter φύσιν καὶ ψυχὴν nexum perpendit, — in plebecula campestri Agri Ticinensis characterem psychicum infirmo corpori atque vieto analogum non mirabitur. Desideratur laeta illa festivitas, hilaritas, et animi fortitudo, quae monticolas distinguit; — perpetuis aerumnis et calamitatibus, servili jugo, corpori cachectico, visceribus infarctis, et pellagrosae diathesi modo manifestae, modo occultae ac subdole delitescenti correspondet animus moestus, taciturnus, timidus, morosus, diffidens, obstinatus, stomachosus, in rixas pronus.

Nullus equidem negare ausim, coelum Ticinense olim incolarum saluti amicissimum fuisse, namque non modo divinus Petrarca, et Sacco ejus salubritatem encomiis praeconati sunt, sed etiam Duces Mediolanenses, testante historia, Papiae villas lubenter petiere, ut favente anni tempore campestribus ibi fruerentur deliciis; — hodierna autem die longe alia evenit rerum conditio. Ab Hippocrate jam didicimus (Libro

de flat. N. 6) *mortalibus sanis vitae, aegrotis vero morborum aërem potissimum esse auctorem*; quare nulla profecto bonitatis aëris argumenta majora erunt, atque certiora, quam rara hominum aegrotatio, vernaculorum morborum absentia, epidemicorum lenitas, vegeta senectus, et vita longaeva. — Hisce beneficiis privum esse Ticinensem agrum, ex hucusque prolatis unicuilibet satis superque patet. Insuper nihil magis advenas commonet, coelum alicubi esse inclemens, quam subtumida, squalida, vel strigosa incolarum species, quae flavo, aut thalassino colore picta fere exsanguis videtur. Id vero apud agricolas nostrates passim observare licet, quibus apte congruet vulgatum illud Stratonici Citharaedi dicterium in Caunios: » *Tale quidem genus est hominum, quale foliorum.* » — Erudite non minus, quam diligenter Frid. Hoffmannus collegit scriptorum testimonia, quibus apud Aegyptios, Graecos et Germanos a sicco solo aërem salubrem, a coenoso autem et humido inclementem extitisse demonstrat, cui sane veritati jam praeluxit Cous Vates, ubi scripsit: » *Ex anni constitutionibus in universum siccitates imbribus esse salubriores* ».

Attamen non desunt et climati udo sua *beneficia*, quibus ipsum Agrum Ticinensem potiri, quotidiana edocemur experientia. Singularem prae caeteris adtentionem meretur *raritas phthiseos pulmonalis*, quae in locis elatioribus, siccis, et borealibus adeo funestas vitae humanae struit insidias, totque victimas Acherontis ad oras conducit. Licet inflammationes organorum spiritalium, auscultante inprimis bruma et aquilonari tempestate, apud nos frequenter occurrant, et insignem quandoque adipiscantur gravedinem; nihilo secius in purulentam liquationem nonnisi rarissime terminantur, sed vel sua contumacia indomabili propediem enecant,

vel in alius generis posthuma, pulmonum hepatisationem, hydrothoracem acutum, vel diutinum, in concretiones cum pleura intercostali degenerant. Immo individua labe purulenta adfecta, si nostrum subeant clima, plerumque solamen experiuntur. — Eadem denique ratione, qua constitutio climatica reproductivae vitae munera κατ' ἐξοχὴν offendit, sensitivae parcere consuescit; quare *nevrosium* frequentia longe minor, illas tantum si exceperis, quae ad infimam systematis nervosi sphaeram, organicam, sive gangliarem referuntur, et quae potius secundarios effectus processus organico-plastici vitiati praebent.

Absoluto sermone de praecipuis noxis, et damnis, quae habitantium valetudinem ex parte climatis, ceu fonte perenni, periclitantur, quaedam adhuc subjungenda sunt de *temporali constitutione epidemica*, sive de illis popularium morborum vicissitudinibus temporariis, quas variae phases mundanae, et speciatim annuae determinant. Epidemiae anniversariae quidem per excellentiam a cosmo-dynamica relatione telluris ad Sidereum centrum systematis planetaris dependent, unde perpetua illa, atque regularis metamorphosis successiva, quam subit satelles fidus, immutabili lege, ac aeterno circuitu ellipticam percurrens semitam, et cujus participes fiant oportet cuncta et singula entia, quae ei parasitarum more adhaerent. Quidquid autem accidit in tempore, sensibus nostris non aliter patet, nisi mediantibus mutationibus in spatio, sive variatis conditionibus mundi corporei, absolutis vel relativis, pro cujus diversitate nativa, vel adventitia differens phaenomenorum series exsurgere necessario debet. Hanc ob rationem epidemia anniversaria, — objective considerata semper et ubique eadem, — subjectivo intuitu, sive respectu relationum particularium, quae inter Sidus gubernans, et inter multifarias partes satellitis

gubernati locum habent, quamplurimis obnoxia est modificationibus, climati mox geographico, mox physico, vel etiam hominum vivendi generi tribuendis.

Densissimae nebulae agro Ticinensi incubantes, insignis, quem atmosphaera inde nanciscitur, udor, moderata ventorum spiramenta, atque coeli clementia talis, quae ad meridionalem accedit, totidem essent momenta, quae a priori suspicari sinerent, inflammatorium *epidemiae brumalis* ingenium nequaquam illum potentiae gradum adtingere posse, quem regionibus hyperboreis, siccis, montanis et ventosis familiarem esse novimus. Experientia vero contrarium docet; namque saepe saepius vehementissimas, et creberrimas phlogoses observare licet, quarum insidias quidem nec urbani cives, multo minus autem rurigenae effugere valent, morbidis influxibus multo magis expositi. Quatenus bruma, oxygenii, frigoris, ac praedominantis positivae electricitatis gratia irritabilitatem vasorum, haematosin, pulmonumque efficientiam vitalem mirum in modum exaltat; eatenus inflammationes organorum pneumaticorum in quovis, sine discrimine, climate, ac proinde etiam in nostro caeteris frequentiores esse consuescunt. Alia causa delitescit in continuo pulmonum cum aëre rigidiori conflictu. Possumus equidem bene chlamydati et palliolati corporis extima a frigoris rabie et morsu tutari; at quomodo extis in cavea pectoris contentis prospici poterit, si ab indesinenti et reciprocante aëris inspiratu et expiratu vitam precariam habemus? — Non est ergo quod miremur, si hyems, glaciali aura thoracis interanea subeunte, anginas, bronchitides, peripneumonias et pleuritides, ceu constantes comites agnoscit. In agresti popello autem aliae adhuc intercurrunt circumstantiae, quae faciliori id genus morborum origini patrocinantur.

Qui in angustis, calidis, et mephitide varia scatentibus bovilibus tenerascunt, ac a rigidioris aurae stimulo ferme desuescunt, pulmones, gravissime adfici debent, ubi vel minimae discrepantiae temperiei et elementorum exponuntur. Ipsa superficies cutis ejusmodi stabulatione hyberna insolitam contrahit teneritudinem, bovilium calida et uvescente atmosphaera, aeque ac perspirabili materie perpetuo fota, frigoris accessu in suis facillime perturbatur muniis, quo posito vicariae in membranis mucosis, aut serosis reactiones proliciuntur, atque multifariae catarrhorum et rheumatum formae extricantur, quarum genesi notabiles electricitatis atmosphaericae vicissitudines plurimum obsecundare non dubitamus. — Quaedam consuetudines tandem in datis individuis faciliorem morborum pectoris ortum, eorumque majus periculum determinant. Ita qui inter digitorum micatus ad ravim usque declamant per horas (insanum ludi genus, quo infima plebs nostra delectatur, vulgo *Giuoco della Mora* dictum), vel qui transacta inter aerumnas hebdomada, festos dies crapulis celebrare consuescunt, gravissimis saepe succumbunt peripneumoniis. — Hyems plerumque serotina et brevis efficit, ut epidemia inflammatoria raro duntaxat ante solstitium ordiatur, mense Januarii suum culmen adtingat, atque Februario nondùm elapso jamjam defetiscat.

Redeuntibus auris Chelidoniis subintrant febres intermittentes quotidianae; febres continuae inflammatoriae gravioribus phlegmasiis comitatae commutantur cum catarrhosis simplicibus, vel anginosis, et gastropituitosis, quas, veluti primitias pathologicas irrepentis veris, ante omnia inter vicanos evolvi videmus. Sub hacce constitutionis epidemicae permutatione, quae plerumque sub initium mensis Martii contingit, vel et prius, si mites fuerint algores hyberni, variae progerminant exanthematum formae, atque erysipelata cre-

bra. Iam in anni tempore, et potentiis cosmo-telluricis, quae unacum illo evolvuntur, sufficiens habetur ratio, cur processus evolutionis organicae in plantis, aeque ac in animalibus rursus emicet et intendatur, — cur efficientia expansiva, indies crescente Solis imperio, per universum potentior reddita, motum vitalem a centro versus peripheriam alacrius concitet, ac in finitimis corporis partibus nisum vegetativum ultra modum intendat, unde gemmae in plantis, cotyledones in seminibus, lichenes in corticibus, et flosculi morbosi in cute hominum. Sunt autem aliae adhuc circumstantiae, et quidem mere locales, uti atmosphaera humida, neglecta vicanorum mundities, atque maxime contubernia stabularia, quae non modo exanthematum ortui favent, verum et contagiosum eis impertire juvant ingenium.

Bovilium talis esse solet constructio et angustia, ut aëris necessariam renovationem prorsus excludant; qua de re uno intuitu pabulum vitae, sive oxygenium a pecudibus, et rusticorum familiis tota die ibi commorantibus consumtum, et non resarcitum, alia ex parte effluvia conviventium, eorumque excrementorum adcumulata non possunt, quin pestiferam reddant atmosphaeram. Evenit tali pacto, quod processus morbosi per se insontes nisum in liquationem contrahant, eamque subeant metallaxin, quae extricando fomiti contagioso favet, — vel quod latentia et ignavia germina mali moris sub concursu caloris aequabilis, udoris, et mephitidis animalis vivificentur, ac disseminentur, armentis aeque, ac hominibus, et maxime infantibus contagiosas inferendo lues. Rari sunt anni, quibus vere ineunte ager Ticinensis ab omni hujus generis malo immunis manet; nunc enim typhus exanthematicus, nunc morbillus, scarlatina, tussis convulsiva, nunc et ipsa variola ex templo caput extollunt, quorum prima

initia indagare si adniteris, ea fere semper in sordidis stabulis invenies. Evolutio pustulae vaccinae, atque των χρισσων equorum in eandem plurimum incidunt epocham. Felici sub rerum omine, et cooperante idonea cura prophylactica, contagiosa germina in ipso loco natali suffocantur, neque unius alteriusve villae cancellos egrediuntur; secus per finitimos divulgata pagos plus minusve funestas pestilentias gignunt, eousque duraturas, donec pervasis omnibus individuis, queis aliqua morbum subeundi facultas inest, deficiente pabulo sponte emoriantur, vel congrua prophylaxi extinguantur. Bovilia igitur, quae possessoribus, et praediorum conductoribus palmarium opulentiae fontem, et cornucopiam largiuntur, miseris servis multiplici intuitu lethiferam Pandorae pyxidem praebent.

Quo magis adolescit ver, eo magis increbescit aequinoctionalis epidemiae imperium, febrium intermittentium et gastricarum numero insigniter aucto, donec subintrante aestatis fervore character epidemicus recentem sortiatur variationem. Febres quotidianae rarescunt, earumque loco frequentissimae exsurgunt tertianae, et hemitritaeae. Saburrae, quae continuis pariter, ac dialipyris adhaerent, in principio adhuc pituitosae, serius biliosae, aut biliformes fiunt, prouti vel bilis, vel humoris gastro-enterici uberior secretio sordidam genuerit colluviem.

Eminentem insalubritatis gradum ager noster adtingit mensibus Augusti, et Septembris. Maturescentes inter segetes languet sollicitus cultor, fructusque decerpendo laborum haud raro sui necem parat. Funesta nunc febrium incumbit cohors, ac passim per vulgus grassatur, ut integrae familiae tempore messis febriant, densiorque fiat aegrotantium numerus, quo urbis Nosocomium impletur. Praeter iram vesani Leonis discri-

mine plenam nobis reddunt aestatem multiplicia illa effluvia mephitica, quae ab oryzariis, et stativis aquis eructantur. Quare malacia, fervore, et siccitate diutius persistentibus, semper desideratissimae nobis sunt pluviae, quae sitientes herbas reficiunt, stagnantes et putidas aquas diluunt, palustre coenum abstergunt, aërem caliginosum depurant, aestum temperant, talique modo hominum valetudini opitulantur. Cum pari ferme tempore cannabis et linum macerari soleant, et hoc pensum feminis praecipue incumbat, illarum non paucae hujuscemodi sordidi ministerii causa acute febricitant, et citissime moriuntur. Profecto nunquam magis, nec sine ratione urbanae genti suspecta est rusticatio, cum omnes villae in uda planitie sitae tetram spirent mephitidem; quare cives opulentiores, propriae consulentes saluti, non feriantur antequam uva maturescat, atque, nisi in amoenis collibus Ultrapadanis autumni, et vindemiae recreari possint deliciis, rure potius vacari praeferunt. — Inter fontes putoris aestivi, utut circumscripti, et quibusdam tantum individuis infensi, despicatui non est habenda bombycum cultura; solent enim erucae, quando vivunt et Mori foliis pascuntur, earumque excrementa, si per plures dies acervatim in aliquo loco recludantur, tam gravem odorem exhalare, ut totam viciniam inficiant. — Febres intermittentes perniciosae, larvatae, et comitatae, lipyriae, sudatoriae, emeticae, comatosae, syncopales, febres gastricae, et biliosae in nervosum, aut putridum characterem facile abeuntes, diarrhoeae, cholerae, dysenteriae, consuetissima sunt inter nostrates agricolas mala, multosque demittunt ad umbras.

Molestiis, quae licet nullo stipentur periculo, aestivos tamen dies persaepe intolerabiles reddunt, adnumerari adhuc debent *pruriginosa eczemata*, quibus maxime advenae, climati calidiori nondum adsueti,

primis plectuntur commorationis annis, atque *myriades conopum et culicum.* Istorum nonnulli stridore nos monent (Culex pipiens, Ital. *Zanzara*), alii tacite circumstant (Bibio Papatasi Scopolii), ac dolose adgrediuntur tam vigiles, vespertinis praesertim horis, quam dormientes, blanda perturbando noctis silentia; esurie enim, atque candelae luce pellecti, cellas subeunt dormitorias, quarum parietibus insident malitiosi illi vampyruli, ob parvitatem et hyalinam corporis texturam facile praetervidendi, donec opitulante caligine atra insatiabilem sanguinis humani cupidinem impune rabido morsu explere possint. — Culicum copiam in locis humidis, et coeno squalentibus mirum in modum invalescere, Graecis jam historiis memoriae proditum est. Legimus enim apud Pausaniam in Achaicis, Maeandrum, limosum alioqui flumen, obturatis advecto luto faucibus, quibus in mare devolvebatur, sensim juxta Myontem urbem induxisse paludem, ex qua tanta culicum vis enata fuit, ut Myontii molestia, taedioque adfecti Civitatem, patriasque sedes relinquere, ac Miletum populariter migrare coacti fuerint.

Singularem, nec prorsus immeritam nequitiae famam aestivis diebus inter nos sibi comparavit *aura vespertina*, cujus quidem ratio in deficiente Solis benefico influxu, et increbescente contra madoris et nebulosae caliginis gradu quaerenda. Quidquid enim per vim Solis adtenuari, dissipari, ac in superiores regiones adtolli solet, eo recedente rursus incumbit, et infima, quibus immediate circumfundimur, atmosphaerae strata contaminat. Accedit demum, quod nostra corpora senescente die elanguescant, inter somnum perniciosos fomites cujusvis generis facilius imbibant, ideoque ad labes concipiendas proniora sint. Qua de re monitos vellem, quotquot udas agri nostri regiones incolunt, ut diurnos potius aestus subeant, quam nocturni fri-

goris voluptate decepti inquinatam ambientis aëris vim excipiant, vel plane sub divo sereno, aut et domi, reseratis fenestris, somnum capiant.

Transacto mense Octobris, qui, si faveat coelum sudum, perquam amoenus et incolis acceptissimus esse solet, sordidus irrepit autumnus, imbribus continuis, alluvionibus, densisque nebulis distinctus, ac plerumque ad festos dies nativitatis Domini Nostri porrectus. Hocce jam anni tempore maleficus udi climatis super hominum corpore influxus eminentissimus evadit; etenim status hygrometricus atmosphaerae ad summum evectus culmen cunctas illas provocat labes, in quas organismus jam ex parte madoris perennantis magis dispositus est, — febres utpote quartanas, tam simplioes, quam duplicatas, et triplicatas, hepati, et maxime lieni infestas, ac frequenter in hydropem degenerantes. Quodsi una cum pluviis, atque nebulis vicissitudines temperiei, et venti aquilonares copulentur, tusses catarrhosae, febres rheumaticae, arthritides acutae, anginae, pleuritides passim occurrunt, atque naturalem ferme transitum in brumalem epidemiam efficiunt. Id solum beneficii adfert autumnus, quod, si quidam morbi contagiosi prius essent debacchati, plerumque emoriantur, et evanescant.

Popellum campestrem prae urbana pube cunctis hisce insanitatibus endemicis et epidemicis, climaticis et anniversariis mulctari, ideoque securissimam in dijudicanda cladium popularium natura amussim praebere, nemo profecto erit, qui non perspiciet; qua de re praecipuam strenui observatoris adtentionem sibi vindicant cuncta noxiarum genera, quae in crimine facultatis morbificae esse possunt. Nihilo tamen secius nec illae praetervidendae sunt circumstantiae secundae, quae nonnullis individuis veluti immunitatis speciem

conciliant, utut morbidis cum injuriis haud raro colluctentur. Qui sordida, et unguinosa opificia exercent, uti olearii, laniones, salsamentarii, foricarii, et caminorum purgatores, iniquas climatis et anni temporum vices nonnisi raro experiuntur. In censu quoque sordidorum artificum recensendi sunt Casearii, qui ex vaccino lacte grandes illas rotas caseosas efficiunt, Cispadanae planitiei divitias. Quamvis tale opificium in iisdem exerceant villis, et locis campestribus, in quibus febres intermittentes, cachexiae, viscerum abdominalium infarctus, pellagra, etc. cultores agrorum dirissime adfligunt et excruciant, immunem tamen ab hisce malis transigere solent vitam; cujus phaenomeni rationem nuspiam, nisi in cute, universali illo morborum atrio, unguinosis sordibus cooperta, talique pacto adversus atmosphaerae inclementias magis praemunita inquirendam esse, opinarer.

Sufficiant interim generales istae notiones circa Agri Ticinensis climaticum ingenium, et anniversarias constitutiones, nec non circa potiora, quae inde redundant in accolarum salutem emolumenta et damna. — Particulares modificationes, quas interdum morbi populares nanciscuntur, in clinicis indicare ephemeridibus, opportunior dabitur occasio. — Quodsi brevis haecce Chorographiae Ticinensis adumbratio, ceu primum tentamen, desideratam non sit adepta perfectionem, benevolus Lector excuset, quaeso. Nullo praeeunte exemplari, omnia e propriis observationibus haurienda erant, quas a versatioribus in arte Viris progressu temporis emendaturas, ac uberius explanaturas fore spero, et cupio.

Ad paginam 129.

[M]ORBORUM

hospite exivit.

ia.
ystericotate.

osi secundaria.
elia lethalis e dirupto sacco anevrysmatico.

Mortalitatis proportio uti 9 ad 100.

CAPUT TERTIUM.

EPHEMERIDES

ANNI CLINICI 1817-1818.

Medicinae tyrones, Scholarum theorecticarum limina vix egressi, nullam profecto e clinicis exercitiis capere quirent utilitatem, nisi prius praeviis imbuerentur cognitionibus, quae rectam morborum penes lectos observationem, aliaque multifaria medici practici officia respiciunt. Qua de re per unam, alteramve hebdomadam Prolegomena praxeos medicae e Cathedra traduntur, antequam studiosis in arenam Palaestrae Clinicae descendere concedatur. Ea rationem, cur annus clinicus anno scholastico semper brevior sit, primis quippe inchoans mensis Novembris diebus, atque exeunte mense Julio finiturus, quum ultima cycli academici, ad mensem Augustum protracti, momenta in examinibus terminalibus consumi debeant.

Eo semper impendimus studium omne, ut sufficiens aegrorum numerus vastum campum observationi, et eruditioni praebeat, — ut ex omnibus morborum classibus potiores saltem, communioresque species occurrant, — nulla vero unquam deficiant aegritudinum popularium exemplaria, e quibus constitutionem epidemicam perennem, anniversariam, vel ephemeras ejus variationes desumere, atque cognoscere. Et profecto laeta fuit messis anni clinici, cujus fata modo sumus narraturi, ut ex adnexo indice colligi potest. E ducen-

tis aegris intervallo novem mensium pertractatis novemdecim extremum obiverunt diem, et viginti duo irreparabilibus malis conflictati, precarium nonnisi habuere levamentum.

Constitutio epidemica annua sequentes exhibuit variationes praecipuas. Syrma autumni perquam humidi notarunt febres quartanae pervicaces, in hydropes summopere pronae. — Epidemia hyberna inflammatoria anticipavit praeter morem, altum adtigit gradum, ad finem Martii usque viguit, primisque teporibus vernis vix dissipata iterum recanduit sub finem inclementis Aprilis. Praeter consuetas inflammationum formas, peripneumonias, anginas, pleuritides, rheumata acuta, ophthalmias, etc. adtentionem nostram concitavit insolita frequentia morborum praecordialium, cui partim causas particulares, partim vero altiorem gradum epidemiae phlogisticoterae favisse credidimus. — Veris bradypodis causa febres intermittentes, primo aequinoctio propriae, solito tardius comparuerunt. — Anticipante fervore aestivo febres gastricas jam mense Junio quamplurimas et graves super populum debacchari vidimus, quibus furente canicula febres biliosae, bilioso-nervosae, et intermittentes perniciosae sese immiscuerunt.

Quod characterem *epidemiae stationariae* adtinet, non alium, quam subinflammatorium eruere potuimus, talem utpote, quem eximius HARLES praedominio irritabilitatis et principii contractivi adscribit. Cunctis enim morbis, illis non exceptis, quae ad asthenicam inclinant naturam, notula quaedam irritativa comes erat, cujus gratia etiam methodus antiphlogistica, aperiens, vel saltem negativa, multo magis proficua cernebatur, quam actuosa et tumultuaria; stimulantium contra remediorum usus maxima egebat circumspectione. Debilitatis verae, sive chronicae, sive acutae, rara fuerunt

exempla; et qui sub decursu morborum febrilium subinde caput extulit character nervosus, longe crebrius viribus obrutis et suppressis, quam verae astheniae tribuendus erat. — Ipse ille character stationarius, constitutionum epidemicarum choragus, qui alios quosvis morbos suum quasi sub jugum coëgit, suaque eis jura dictavit, ad altiorem epidemiae hyemalis gradum haud parum contulisse videtur; unde peripneumoniae gravissimae et angiostheniae febriles multos demiserunt ad umbras, ita ut inito Nosocomii diptychorum calculo sextum quodvis funus a pneumonitide esset. Medici passim necessitatem generosioris usus phlebotomiarum perspexerunt, quin forsitan causam arguerent. Qui moderationis cancellos non excedebant, feliciores fuere illis, qui latice vitali largius, quam par est, educto, viribusque exinanitis criticos sufflaminabant conatus, vel immedicabiles lues posthumas invitabant. Ast longe pejus adhuc medebantur medici erroneis principiis obcoecati, qui narcoticis venenis, digitali, aconito, lauroceraso, acido borussico, phlogisticam flammam extinguere sibi visi, recens potius pabulum ei suppeditabant. Vidimus ideo nonnullos medicando recte facere, alios contra medicando peccare. Inter 23 peripneumonicos hoc anno in Schola clinica pertractatos perdidimus 4; ergo stabat proportio defunctorum ad curatos, uti 17 ad 100. In Nosocomio autem, quod anno 1818, aliis annis longe magis morbifero, 5135 aegrotos recepit, mortalitatis proportio, ad solas peripneumonias circumscripta, se habuit uti 27 ad 100; in quibusdam aulis plane uti 29 ad 100. — Anno 1820, et quidem ab eo momento, quo totalis accidit Solis eclipsis, character stationarius repentinam et mirificam subivit permutationem, suo tempore indicandam.

E genere febrium epidemicarum, quas practici *intercurrentes* vocant, fuit funestus *typhus exanthematicus*, a praecedentibus annis adhuc superstes. Torrida et aridissima tempestas, quae annis 1815 et 1816 plures Italiae superioris plagas eum in modum adussit, ut plurima frumenta squalore obruta contabuerint, universalem progenuit annonae penuriam. Hocce jam luctuosum fatum nec devexae, irrigatae, ideoque feraciores provinciae, exemplo Mediolanensis et Ticinensis, effugere potuerant; succurrendum enim erat, penu alioquin parca, gentibus longe majori miseria oppressis. Popularem calamitatem e vestigio sequebatur comes fidelis, pestilentia typhosa, quae jam exeunte anno 1816 amplissimas ubique praedas egit, talemque vastitudinis gradum est adepta, ut Nosocomia ordinaria aegris recipiendis non suffecerint amplius, indiesque crescentem sonticae cladis ferociam cicurandi maxima urserit necessitas. Idcirco Mense Januario 1817 monasterium S. Salvatoris, extra urbis nostrae moenia situm, in Loimocomium fuit conversum, quo sumtibus publicis cuncti reciperentur aegrotantes provinciae Ticinensis, typhoso contagio infecti. Toto ferme anno furebat iniqua lues, continuantibus calamitatibus fota; nefasta enim pruina diei 12 Aprilis laeta destruxit sata, unicam populi jam a biennio languentis spem. Mense Novembris tandem, rarescente indies morbo, superfluae reddebantur Lazarethi opes; pauci, qui subinde adhuc occursabant, aegri, in civico Nosocomio curabantur, propriis cubilibus reclusi, et a reliquis solertissime segregati. Horum nonnullos in Scholam clinicam transferri jussimus, scrupulosae observationis ergo, cautiones non praetermittendo, quae mali diffusionem impedirent. Quinque exemplaria a nobis tractata nil obtulerunt, quod particulari mentione dignum fuisset, nisi excipias altiorem characteris inflammatorii, et en-

cephalici turgoris gradum, quem non solum in morbi primordiis, sed etiam ad secundam periodum usque porrectum vidimus, adeo ut phrenitidis casum mentiri facile potuisset, nisi stupor, purpura typhosa, et alia processus contagiosi indicia continuo prae oculis fuissent. — Inter 2735 aegrotantes typho contagioso infectos, qui praedicto anno 1817 partim in Loimocomio S. Salvatoris, partim in Nosocomio urbano pertractabantur, 563 extremum obierunt diem. Plures equidem medici calamitosam illius epochae pestem, variis in locis observatam descripserunt, uti Barzellotti, Palazzini, Buffa, Pirondi, Ricci, Mattioli, Bianchi, Grossi; cunctis tamen palmam praeripuit doctissimus Omodei, cujus tractatus » *Del governo politico-medico del Morbo petecchiale. Milano.* 1822. » praecipuum sane inter loimographias sibi vindicat locum.

Vacante exedra Ophthalmiatrices, plures nostra schola recipere curavimus *morborum ocularium* casus, ne studiosa juventus utilissima ista, ac pernecessaria institutionis medico-practicae sparta privaretur.

Ephemerides clinicas singillatim prosecuturi, ubique observationes meteorologicas, singulari benevolentia praeclari et humanissimi Physices Professoris, Petri Configliachii, nobis communicatas, praeposuimus, Clinicorum principum exempla imitando. Thermometrum, ad mentem Reaumuri confectum, semper in opaco adservatur loco. *Scala barometrica* juxta methodum Clariss. Delaplace in pollices, lineas, et sexdecesimas lineae partes divisa est. Humiditatem atmosphaericam metimur ope *Hygrometri* Clariss. De Luc, nimirum taeniola ossis balenae, in centum gradus distincta.

Novembris. 1817.

	Thermometri	Barometri	Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 9. 8.	poll. 28. 5. 9.	grad. 95.
Altitudo minima . .	» — 1. 3.	» 27. 10. —.	» 57.
Altitudo media . .	» + 5. 21.	» 28. 1. 13.	» 83.05.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	6. 3. (a die 20 ad 21)	0. 4. 6. (a die 20 ad 29)	34. (a die 25 ad 26)

Venti dominantes: *Favonii.*

Mensis initia nebulosa et tristia. Licet raro pluerit, tantus erat atmosphaerae mador, ut hygrometrum paucis nonnisi diebus infra 90 gradum deprimeretur. Nihilo tamen minus baroscopium altam tenuit stationem. Viridis arborum amictus citra morem perstat. Sub finem mensis multi dies sereni, et frigidi, intercurrente subinde superficiaria congelatione ab asperioris Boreae flatu.

MORBI EPIDEMICI.

Inflammationes pulmonum, rheumatismi acuti, et febres intermittentes quartanae prae caeteris adfectibus grassabantur, ac busta implebant. — Primus aeger, quo clinicum curriculum exorsi sumus, benefico velut Numine nobis opitulante, omen praebuit constitutionis epidemicae hujus mensis. Duas ille in medullis fovit diatheses, miro lusu reciprocantes, quarum una excandescente altera conticuit quidem, hac vero feliciter perdomata denuo recrudescebat illa, aegri salute in summe ancipiti bivio et compito constituta. Fuit vir robustus, a quinque lustris natus, sartoris opere victum quaeritans, qui, mero a multis jam annis profuse indulgens, inter pocula aerumnas diluere suevit. Ineunte mense Septembris tertianam contraxit febrem, emeticis, purgantibus, ac peruviano cortice jugulatam.

At dolose tantum sub cinere delituit favilla, cum medio circiter Octobri denuo proruperit febris, quartanum modo servans typum. Die 31. Octobris, aurae frigidae, dum corpus exaestuaret, incaute expositus gravissimum experitur adsultum febrilem, cujus solutionem, alias post nycthemerum sequi solitam, incassum expectat; desideratae enim euphoriae loco molestissimus urget calor, siti, cephalaea, angore, et insigni spirandi difficultate comitatus. Morbo indies ingravescente Nosocomium adit, ac die 4. Novembris in Scholam medico-practicam recipitur. Universam offert symptomatum syndromen, unde sine negotio ad *gravem pneumonitidem* concludere licuit. Tribus venaesectionibus, mixturis eccoproticis, et potionibus refrigerantibus vires vitales obrutas ad illum liberae actionis perduximus statum, cujus ope die 7. morbi solemnis perfici potuerat crisis. Ubera ephidrosis ad concubiam usque noctem porrecta, urinae cum sedimento farraceo (*ὑπόστασις κριμνώδης* Hippocrat.), liquidi secessus, sputamina copiosa et luculentissimum levamen pedisequum, perfectam conclamabant victoriam, sospitatrici naturae *κατ' ἐξοχὴν* tribuendam. Decremento rapide procedente, omnibusque respirii laesi phaenomenis protinus dissipatis, laeta jam arrisit convalescentia. Spes tamen fefellit; namque ultimo diatheseos inflammatoriae vestigio nedum abacto gravis invasit paroxysmus, quem absoluto stadiorum cyclo perfecta excepit apyrexia. Suspicionem de recidiva *διαλειπύρα* confirmavit alter insultus febrilis, quarta subortus die. Hostem contumacem decoctis amaris sale Glauberi armatis oppugnavimus, ac postea peruviani Herculis clava plene confecimus.

Rationem quaerenti reddere, cur peripneumonia improvise evoluta febrem intermittentem jam a longiori tempore rebellem velut extemplo truncavit, et cur

isthaec rursus excanduit illa devicta, arduum profectó foret pensum. Fortasse ex indole utriusqne diatheseos paulo curatius considerata phaenomenon illud singulare quadantenus intelligi posset? Novimus illam organismi conditionem, quae febribus intermittentibus auscultat, in languore efficientiae nervosae, vitam vegetativam gubernantis, ejusque erethismo consistere. Phlogisticam contra diathesin distinguit incitationis vitalis, et speciatim irritabilitatis augmentum, ergo status priori quasi e diametro oppositus, qui, si febrilis una concitatur effervescentia, alius processus pyretici contemporaneam evolutionem impossibilem reddit. Quis enim duas febres criticas in eodem individuo, et pari tempore decurrentes admitteret? Quis non perspiciet, individuum, quod jam febrit, novam febrem subire non posse? — Quamprimum vero impetus inflammatorius fuerit fractus, nihil obstat, ut consopitum interea germen febris intermittentis denuo reviviscat.

Priori longe adhuc graviorem *pneumonitidis verae* casum exhibuit sponsa, 20 annorum, quae die 19. Novembris, et 3. morbi, ut clinicis reciperetur aedibus, enixe rogitabat. Vena octies intra hebdomadam pertusa, ecooproticis, emulsis nitratis, et sinapismis omni vespera repetitis non modo summa spirandi difficultas minuebatur, sed etiam virium reactiones pertinaciter suppressae liberabantur, ut crisis, quam die septimo frustra expectavimus, die nono perfici potuerit. Residuum languorem, post luctam adeo acrem vix evitandum pulveribus camphoratis, et modico nutrientium usu correximus.

Reliquae peripneumoniae hoc mense nobis visae, quamvis vehementes, de *catarrhosa* manifeste participabant *indole*. Pervicax cutis ariditas principem gessisse videbatur culpam characteris nervosi, quem in nonnullis casibus inopinato evolutum observavimus.

Hanc ob rationem minor quoque erat phlebotomiarum tolerantia. Longe quidem alieni sumus, quam ut quaevis praeludia status nervosi confestim pro verae astheniae effectu declaremus; ad eam potius propensi sententiam, multo crebrius nonnisi debilitatem nervosam spuriam subesse, e suppressis efficientiae nevricae reactionibus oriundam, quae, si praetervidetur, ad erroneam conduceret medendi rationem. Re quidem vera praematuro et inconsulto stimulantium usu nil sane perniciosius in praxi. Nihilo tamen secius sub imminente ejusmodi febrium diadoche summa requiritur circumspectio, ne justo generosiori sanguinis emissione vera inducatur debilitas.

Sub tali rerum statu, videlicet *charactere nervoso*, ut communi nostra utamur phrasi, *foras pulsante*, camphoram, vesicantia, et psychrolusiam pro palmariis agnoscimus praesidiis, nullo alio supplendis. — *Camphora* nervis amica, sive refractis dosibus exhibeatur interne, sive aurae sub forma per inorganicos, ut ajunt, poros, languentem subeat organismum, systemati nervoso mira ratione lenocinatur, ejus energiam modeste acuit, quin vasorum irritabilitatem extimulet, atque principio expansivo, quo scatet, nisum emanatorium, sive motum organicum centrifugum blande sollicitat, et tali pacto desideratam diapnoën ciet. — *Vesicantia* vicariam in cute, quae catarrhorum suetum sistit atrium, concitant actionem, ac secundum leges antitheseos in organismo vigentis centra officinae animalis sublevant, dum periphericos nervorum et vasorum fines lacessunt. — *Lavacra* demum *frigida* systematis dermatici polaritatem invertunt; ea videlicet ratione, qua cutem aridam, cohibentem, et idioelectricam in superficiem madidam, conducentem, et symperielectricam convertunt, interceptum aequilibrium inter elementa et principia subtilissima corporis et mundi

externi restituunt, emanationem insensibilem phlogisticorum et imponderabilium promovent, quae in penetralibus organismi ubertim extricata, coacervata, ac veluti reclusa efficientiae bioticae ruinam minantur. Oportet autem, ut corpus aqua gelida prolutum confestim detergatur, et stragulis cooperiatur. — Tali medendi methodo plerumque accidit, ut foetus in partu suffocetur, character utpote nervosus in sui exordio juguletur, et primitivus morbus inflammatorio-catarrhosus ad suam redactus normam et simplicitatem, tanto efficacius criticas explosiones moliri queat. — Lapsum virium, et transitum febris inflammatoriae in nervoso-asthenicam illis unice in casibus averruncare non licuit, ubi aegri, antequam ad nos pervenerint, immodicis phlebotomiis exinaniti fuerunt, vel ubi malignus quidam fomes clanculum delitescens nobilissimas vitae latebras pessumdedit.

Rheumatismi acuti triviales admodum erant hoc mense, variaque schemata ludentes. Persaepe uni loco pertinaciter adhaeserunt; nonnunquam vero vage, atque errabunde per artus discurrebant, ut modo hanc partem vellicarent, modo illam. Multis atrociter dolebant juncturae, aliis carnes inter easdem mediae. Temperies inconstans, atque insignis atmosphaerae ob nebulas confertissimas mador labis rheumaticae frequentiam liquido vindicarunt. — *Arthritides acutas* adparatu leniter antiphlogistico et diapnoico, nec non fotu aequabili ope stupae canabinae, resinoso thymiamate imbutae, qua cunctos artus dolentes sedulo involvi curavimus, sine negotio fugabantur. — *Otalgia rheumatica* replicatum poposcit usum vesicantis; primum nuchae impositum dolorem permulxit; alterum retro adfectam aurem, tollendae superstitis obauditionis causa, adplicuimus. — Minus frequentem formam rheumatismi acuti nobis obtulit femina, quae a paucis diebus

dolorem querebatur juxta decursum spinae dorsi vagantem, comite febricula, levi torpore crurum, formicatione, et molesto trunci motu. Qui raritates pathologicas venantur, forsitan myelitidem declaravissent, nos pro simplici rheumate musculorum dorsalium, seu *Notalgia rheumatica* habuimus morbum, eo maxime ducti argumento, quod dolores a contrectatione increbuerunt. Praemissa catharsi, decoctum Dulcamarae, frictiones siccae, ac demum cantharidum stimulus lumbis admotus omne malum spatio trium hebdomadarum eradicarunt.

Febres intermittentes tertiam constituebant morborum epidemicorum phalangem. Nonnullae sub initium mentiebantur quotidianas; eas vero quartanas triplicatas fuisse, docuit singulorum paroxysmorum disparitas, atque resolutio in quartanas simplices, postquam remediis amaricantibus et resolventibus fuissent tentatae. Vix unum observare licuit intermittentis casum, quem cachectica labes non comitaretur. Hic emphraxis hepatis, ibi physconia splenica, vel hydropismus debellanda prius erant, antequam diathesis febrilis oppugnari tuto potuisset. Decocta radicum Graminis, Taraxaci, Cichorei, extracta ex iisdem parata, vel et illa Trifolii fibrini, Centaurei minoris, Sales medii, et praeprimis Arcanum duplicatum, Sal Glauberi, vel Sal ammoniacus, radix Squillae denique cum cremore tartari, ubi lotium pellere oportet, praedilecta nobis esse solent pharmaca, quibus curam confidimus febrium intermittentium omnium, ubi vel minima obstructionis viscerum, colluviei pituitosae, vel aquae inter cutem adsit suspicio. Febri ab hisce complicationibus adamussim depurata, ad Corticem peruvianum recurrimus, quem lubentissime forma pulveris, et in connubio cum aliis antipyreticis et stomachicis, uti essent Gentiana, Calamus aromaticus, Caryophyllata, et Sal ammoniacus,

propinamus. Ordinaria quidem dosis esse solet Uncia dimidia in 8 partes divisa; pertinaciori tamen in casu integram unciam Chinae cum pulveris Gentianae, Calami aromat. et Salis ammoniaci ãã drachma semis copulamus. — Hydrops catholicus, recidivis febribus intermittentibus inductus, infausto omine lethum paravit rustico quinquagenario, omni artis conatu non avertendum.

Quemadmodum in maribus febres quartanae diuturnae, et viscerum labe sociatae *hypochondriacam* suscitant *passionem;* ita in feminis haud infrequentes eodem ex fonte *hystericas turbas* scaturire vidimus. Rarae universim in nostro agro sunt casus febrium intermittentium autumnalium, quae uterum in suis non perturbarent muniis, et nisi graviora mala, saltem menostasiam et habitum subchloroticum non inducerent. Diathesis febrilis, quae suam sedem in systemate nerveo-splanchnico agnoscit, κατ' ἐξοχὴν quidem instrumenta digerentia, et adsimilationi dicata adgreditur et subruit, ast in sexu sequiori nec utero parcit, cujus tanta est in servanda integritate vitae, et salutis muliebris dignitas. Etiam in ejusmodi casibus cura solventibus est ordienda, et cortice peruviano, vel martialibus coronanda. Quae practicis emenagoga vocantur remedia, eumque in finem propinari solent, ut suppressa revocarentur catamenia, sine fructu tentabuntur, immo saepe evidens parabunt damna. Extincta si fuerit diathesis febrilis, pristinumque robur systemati nerveo-gangliari redonatum, uterinum munus sua redibit sponte, omnesque disparebunt turbae hystericae.

Febribus intermittentibus sub finem mensis ortis jam manifesta adhaesit *notula inflammatoria,* unde eorum decursus ad *subcontinuas* inclinabat. In aliis simplex fuit angiosthenia, ab omni labe locali defecta; in aliis catarrhales irritationes faucium, vel bronchio-

rum juxta intermittentem febrem decurrebant, leniori tamen adparatui antiphlogistico et diaphoretico libenter auscultantes.

MORBI SPORADICI.

Virum haemorrhoidarium, cui aliquoties in anno sanguis e ruptis vasculis varicosis cum emolumento fluere solebat, improvisa adgreditur *lotium expellendi difficultas*, antea nunquam passa, quae post paucos dies eum crevit in modum, ut continuo et molestissimo sub tenesmo neque guttula urinae exprimi potuerit. Vesica catheteris ope prius rite evacuata, hirudines ano admoveri jussimus, clysteribus, fomentis emollientibus, atque emulsis nitratis spasmum sphincteris solvere, et congestionem sanguineam dissipare adnixi. Aeger, licet jam quinquagenarius, pluribusque morbis confectus, post viginti dies pristinam recuperavit salutem.

Puella, 16 annorum, menstruis adhuc defecta, habitus floridi, prima excandescentis cupidinis sexualis blandimenta superare impos, ab anno circiter onaniae se dedit. Sub initium Novembris molestissimam manus dextrae, qua stuprum quotidie committere solebat, percepit instabilitatem, nullo voluntatis imperio coërcendam, quae transacto nycthemero in gesticulationes degenerabat invitas, saltusque musculorum convulsivos, confestim super totum brachium, et crus ejusdem lateris diffusos. Praemissa blanda alviductione, huncce *Hemiballismum* remediis nervinis, et illis, quae uterini systematis erethismum componere valent, adgredi proposuimus. Sub usu interno florum Zinci, infusi herbae Millefolii et Chamomillae, nec non frictionum cum Spiritu vini camphorato, et tinctura Opii juxta decursum spinae dorsi institutarum, puella cito et jucunde convaluit, a turpi vitio, quod procul dubio

nervosae illius passionis favillam posuit, ultro abstinere promittens.

Inter aegritudines, quae, e domesticis et privatis causis oriundae, singulis tantum insidiantur individuis, ideoque sporadicae audiunt, memorabilis omni intuitu fuit casus *Ophthalmodyniae rheumatico-nervosae*, in amaurosin et glaucoma conversae, quem, hypotyposi praemissa, adcuratiori perquisitioni subjicere non piguit, proprias quasdam interserendo epicriticas animadversiones. Densa enim caligo, quae naturam, et nosogeniam Nevralgiarum obvelat, magnum sane relinquit desiderium, ut nulla praetermittatur opportunitas, quae lucis particulam, etsi sublestam tantum, foenerare possit.

Rustica, 56 annorum, temperamenti phlegmatici, habitus macilenti et cachectici, regionem incolens oryzariis, et prolutis pratis ditissimam, juventutis curriculum egestatem inter et campestres labores transegit, quin vel minimum inde secunda ejus valetudo cepisset detrimentum. Ab illa vero epocha, qua nuptiarum effectus altera vice est experta, in febrem incidit tertianam, quae per totum graviditatis decursum protracta evanuit quidem prole enixa, at revertente quovis mense Augusto redivit usque ad aetatem 53 annorum, modo per hebdomadas, modo per menses divexans, nunc sponte evanescens, nunc antipyreticis suffocata. Interim tamen neque ab aliis immunis vixit malis, hystericas maxime turbas, et cephalaeas crebras passa. Erysipelas faciei cum quinta congruens gestatione, apto regimine fortunate dissipatum fuit. Quadragenariam adoritur dolor intensus in oculo dextro, paucis quidem nonnisi horae scripulis persistens, ast frequentissimo intra diem reditu tanto magis molestus. Ex templo evanuit, postliminio rediturus, iterumque sine medici adminiculo cessaturus. Quinquagesimam pertin-

gens brumam mulier rheumatico ad coxam dextram dolore corripitur, qui, licet mitis, immo per intervalla mitissimus, ac membri motui libero non renitens, per duos ferme annos semper eidem insedit loco. Anno 53 medios inter algores hybernos, ab aura frigida, quae forte sudantem afflarat, tormentum exoritur saevissimum in oculo dextro, ad orbitam, genam, et bregma ejusdem lateris diffusum, quod musculorum faciei distentiones, caligatio, et marmarygae comitabantur. Qui post pauca momenta conticuit, dolor, unacum temporaria visus hebetudine, denuo recanduit, majoribus sub initium, postmodum brevioribus induciis relictis ita, ut trigesies et ultra nycthemeri spatio repetendo permanentem jam induxerit visus languorem et scotodiniam. Immo remotas quoque partes in societatem adscivit morbus, testante inappetentia, nausea, vomituritione, et aurium tinnitu. Chirurgus ab aegra accitus venae sectionibus et purgantibus hostem, ipsi procul dubio ignotum, adgressus, morbi statum eo perduxit, ut organon adfectum intra paucas hebdomadas omni luce privaretur, quo facto omnes actutum cessavere molestiae, levidensem si exceperis myrmekismum in capite superstitem. Sexdecim menses transegit mulier monops, quin recenti quodam contristaretur eventu, dum mense Augusti 1817 rursus tertiana febris prorumpit, decoctis amaris citissime fugata. Ast eheu! ne in hacce quidem malorum iliade acquievit improbae Pandorae tyrannis. Sub finem Octobris eadem oculum sinistrum invadit symptomatum syndrome, quae triennio vix elapso dextri nobilissimum munus evertit. Jam intervallo viginti et quatuor dierum talem saevitiem adepti sunt cruciatus, eumque in modum hebescebat visus acies, ut aegra, futurae sortis fundata formidine perculsa, Nosocomii opem implorare decreverit.

Die 21. Novembris in Scholam clinicam translata, et examini scrupuloso coram discipulis subjecta, sequentem exhibuit imaginem: Dolor obtusus, profundus, continuus in orbitae sinistrae meditullio, comite sensu bulbi oculi vehementer constricti, per vices in saevum et acutissimum degenerat tormentum, juxta diramationem nervi infra-et supra-orbitalis diffusum, quo, licet per pauca tantum horae scripula ferociente, automaticae musculorum faciei distentiones, visus obnubilatio, palpebrae conniventis et genae rubor, illacrymatio, sudor in fronte, totiusque corporis convulsivus tremor concitantur. Dolore remisso evanescit quidem satellitium funestum, sed remanet languor et amblyopia, paroxysmorum reditu indies crescens. Modo illi accessus dolorosi masticatione, vel loquela cientur, modo sua sponte redeunt. Palpebrae sinistrae utriusque margo mucosa spumula illinitus; oculi conjunctiva sublivido rubore suffusa; cornea transparens annulo candicante cincta; pupula ampla, regularis, ab immissa luce parum arctatur; in bulbi fundo suetae nigredinis loco decoloratio glauco-thalassina adparet; myïodeopsia et marmarygae; visus hebes, objecta ad certam distantiam distinguere nescius, nisi luce vividiore illuminata; in iride nulla morbosae metamorphoseos indicia. Caput grave; animus demissus; genae extra doloris accessum pallidae; os amarum; anorexia; nausea; regio epigastrica rudioris contrectationis impatiens; alvus morosa; urinae limpidae et copiosae; calor normalis; languor virium muscularium; levis marcor; pulsus tantillum citati, parvi, debiles.

Tali sub rerum statu morbum pro *Ophthalmodynia rheumatico-nervosa* declarare non haesitavimus, omnibus viribus adnixi, ut enormis ille organi patientis erethismus mitificetur, inchoata corporis vitrei depravatio (glaucoma) corrigatur, atque imminens paralysis

(amaurosis) avertatur. Primae indicationi remediis narcoticis et nervinis, alteri mercurialibus satisfacturi, praedilectam a Petro Frank copulam Calomelanos et Moschi cum Papaveris lacryma pro interno usu destinavimus. Insuper unguentum hydrargyri griseum cum pauxillo Opii regioni supra-orbitali ad vesperas illiniri; ac duo vesicantia suris adplicari jussimus.

Die 22. et 23. accessus spasmodico-dolorosi numero et intensitate imminuti. Eadem therapia. Die 24. manifesta salivationis signa; ophthalmodyniae unica tantum invasio, eaque levior; visus hebetudo ex adverso ne hilum emendata. A mercurio desistendo continuavimus cum usu Moschi et Opii. Pro litu super orbitas eleximus tincturam Guaiaci cum Camphora et Laudano liquido Sydenhami; revellenti scopo unguentum e Tartaro stibiato nuchae infricandum. Die 26. conspicua euphoria; praeter obtusum, gravedinis potius, quam doloris sensum, nulla molestia; visus quidquam clarior. Omittendo Moschum, dedimus Sulfur auratum antimonii, cum decocto stipitum amaro-dulcium et radicis Sarsaparillae alternatim sumendum, ut diathesin rheumaticam eo tutius eradicaremus.

Quae auspicato procedere videbantur, res, die 1. Decembris denuo in pejus ruebant, recandescente primordia doloris saevitie. Decantatas modo experiri voluimus Belladonnae in mitigandis nevralgiis virtutes, granulum radicis pulveratae quater in die propinando. Pari tempore Corticem peruvianum utilem fore existimavimus, qui robur nervis addendo, morbosam sensibilitatem persaepe adamussim complacare solet. Doloribus per vices cum vehementia recurrentibus Laudanum plena dosi exhibitum lenimen tulit.

Cum haec remedia transitorium solummodo emolumentum adportarint, tormentis paucos post dies rursus reviviscentibus, ad alia clamandum erat arma. Inter-

vallo duorum mensium mox flores Zinci cum Valeriana, mox Stramonium, mox hirudines, mox vesicantia variis locis admota sumus periclitati, irrito tamen cum eventu. Fomenta tandem frigida, super oculum dolentem et photophobum adplicita, omnes protinus dispulerunt dolores, at restituendo visui, quem cruciatuum ferocia, et mali pervicacissimi diuturnitas eum in modum infirmavit, ut amaurotico statui quam proximus esset, nec illa metopia egelida, nec patienter continuatus usus stimuli Galvanici paria fuere. Oculo diligentius examinato, non solum glaucomatosam massae vitreae metamorphosin, verum etiam levem quamdam bulbi atrophiam deteximus; quare, ultima spei favilla extincta, aegram proprios Penates petere cupientem dimisimus.

Qui hujus ophthalmodyniae decursum, et phaenomena paulo curatius perpendit, vix quoddam eam inter et prosopalgiam inveniet discrimen, sedem mali si exceperit. Haec nervum facialem, infra-orbitalem, vel frontalem prehendit, oculum ab omni labe immunem relinquit, vel secundario duntaxat modo in consortium trahit. Nostro autem in casu mali sedes intra orbitam fuit, et quidem in oculi bulbo; nec arduum nobis videbatur opus, *speciale substratum* determinandi. Jam dolor, ceu πάθος eminens, qui coenaesthesin ad summum morbosae incitationis culmen evectam exprimit, illam sphaeram nervosam adfectam indicavit, cui organica insidet sensibilitas, videlicet *systema ciliare*, quod veluti gangliarem adparatum oculi constituit, ac munera vitae organico-plasticae, reproductionem, secretiones, et absorptiones gubernat. Pupillae forma, et iridis motus abnormes, vitiata miscela corporis crystallini, aut vitrei, secretio pigmenti choroideae imperfecta, nutritionis processus languidior, doloris diffusio super genam et frontem, musculorum facici distentiones, il-

lacrymatio, totidem sunt phaenomena, in nostro etiam casu observata, quorum origo e graviori systematis ciliaris labe sine negotio intelligitur, si anatomica et physiologica ejus dignitas animo pervolvatur. Ubicunque vero auxiliarius adparatus sensifer oculi laeditur, ipsa facultas videndi, licet alii nervo, quippe optico, insideat, patiatur necesse est; individua enim oculi vita, illaque instrumenti integritas organica, sine qua visio impossibilis foret, unice a ciliari systemate dependet. Quam ob rem illibatus manere poterit organi status, etiamsi nervi optici et retinae plenaria locum haberet resolutio, omnisque ideo visio aboleretur; nunquam vero specifica haecce facultas sensitiva videbitur superstes, ubi adparatus nervorum organicorum, sive ciliarium altiorem patitur infirmitatem. Hactenus de ophthalmodyniae substrato, quod morbi *formam* adamussim illustrat.

Longe majoribus contra difficultatibus obsepitur indago *naturae*, sive *essentiae* morbi, illius utpote metamorphoseos abnormis, dynamicae vel organicae, quam oculus in nostro casu subivit, et quam proinde etiam in aliis consimilibus supponere fas esset, ut inde ratio decursus, phaenomenorum et exituum, nec non hujus, illiusve medendi methodi necessitas concipi queat. Qualecunque autem tentamen fieri vellet, irritum maneret, nisi solers causarum efficientium habeatur respectus, atque penitior eas inter et productum nexus determinetur prius. Morborum νοουμενον divinabit nemo, cui nosazologia et nosogenia non fuerit auxilio.

Egestas, clima udum, et quod plurimi est, febres intermittentes, per vitae curriculi partem praecipuam ferme quotannis recurrentes, nostro in casu non potuerant, quin insignem totius machinae imbecillitatem, et praeprimis systematis nerveo-gangliaris languorem inducerent, quo posito etiam major emicare debuit

erethismus, turbis hystericis mulieris nostrae liquido evictus. — Refrigeratio, ejusmodi sub rerum conditione incaute admissa, primum posuit *rheumaticae labis* germen, quod, suffragantibus circumstantiis, profundas in organismo egit radices, inque variis erupit locis. Ante omnia impetum experta est coxa dextra, et quidem, ut videtur, nervus ischiaticus, si perpendimus doloris diuturnitatem ab aegra relatam, quin motus cruris fuerit notabiliter laesus, atque decurrendi modum, fixam utpote mali sedem, qua rheumata nervorum, ab illis articulorum et musculorum discrepant. Postea, recenti refrigerio accedente, suos natales velut extemplo deseruit malum bienne, ad oculum dextrum trajectum, ubi totam suam exercuit tyrannidem, eousque duraturam, donec victima remanserit organon tenellum. Tandem non minori atrocia in alterum desaeviit. — Sive igitur momenta proëgumena, sive causam procatarcticam, sive decursus et phaenomenorum rationem spectemus, vix quempiam dubitaturum fore credimus, maleficum rheuma fuisse, quod nobilissimi organi tenera et hyalina velamenta, nervorumque subtilissimorum surculos lacessendo, pervicacem illam produxit et fovit ophthalmodyniam, funestae amauroseos genitricem.

Hancce nostram sententiam confirmare adhuc juvit substrati consideratio. Essentiales inter characteres rheumatis et ille pertinet, quod semper membranis serosis insideat, hisque diutius ac pertinacius adflictis ad fibrosas extendatur tunicas. Secundum physiologicam systematis membranarum serosarum partitionem, quatuor habentur rheumatismi species; prouti nempe vel vaginas musculorum, vel capsulas articulationum, vel solitaria involucra viscerum, vel nervorum velamina plectunt. — Si nunc ut evictum supponimus, substratum doloris nostro in casu systema nervorum ciliarium, indolem morbosae conditionis vero rheu-

maticam fuisse, necessario in nevrilemate penitissima morbi sedes reponi debuit. En vindicata diagnosis de ophthalmodynia rheumatico-nervosa, quo nomine et morbi formam (dolorem in oculo), et naturam (rheuma), et substratum (sphaeram nerveam) una expressimus. Pari jure quoque *Nevralgiam oculi rheumaticam* appellare potuisses.

Quid autem sibi vult illud epitheton, *rheumatica*? Qualem includit conceptum? — Statum symphoreseos activae, atque erethismi in membranis seroso-fibrosis, ex sublato aequilibrio calorem et electricitatem animalem inter et atmosphaericam oriundum, dolore instabili, nisu in hypoclepsin serosam, et laeso cutis munere stipatum, *rheumatis* nomine insignimus, quod latinis *fluxio* audit. — Membranae serosae in statu salutis inferiorem duntaxat perfectionis organico-animalis gradum patefaciunt, conspicuis irritabilitatis, et sensibilitatis manifestationibus destitutae. Quodsi vero morbidus accedat stimulus, sanguis, princeps ille vitae elater, ac praecipuum cornucopiae, hyalinos subit canaliculos, indifferentiae conditionem pervertit, arteriosam eis conciliando dignitatem, delitescentem favillam bioticam extricat et fovet, manifestaque motus, et sensus organici phaenomena proritat. *Irritabilitas et sensibilitas latens*, si dicere fas est, *fit libera*, modo non penitus absimili, ac duobus corporibus invicem confricatis, vel alia ratione in suis principiis elementaribus perversis calor, et electricitas extricari consuescit. Pro circumstantiarum diversitate efficitur, ut mox irritabilitas vasorum serosorum, in sanguifera conversorum (momentum thermoticum), mox sensibilitas organica, sive coenaesthesis (momentum electricum) eminentiorem offerat morbosae incitationis gradum, unde rheuma ipsum mox ad *inflammatoriam*, mox ad *nervosam* inclinat indolem. Primo in casu dolor est ma-

gis continuus, etsi per vices exacerbatus, sub contrectatione intensior, comitatus permanente partis rubore, tumore, nisu in metamorphoses organicas, et febre angiosthenica. In secundo casu dolor intermittit, per accessus invadit, sub tactu non crescit, immo placatur; febris plerumque expers est, vel febriculoso tantum motu, ast, quod multo constantius, turbis nervosis et spasmodicis stipatur, in dynamica potius nitens posthuma. Inter complures alias circumstantias ad diversam hancce rheumatis indolem specialem contribuunt conditio subjecti, atque natura substrati plus minusve vasculosi et irritabilis, vel nervosi et sensibilis. Licet membranae serosae ubique eandem texturam et organisationem habeant, a levibus tamen modificationibus neutiquam sunt immunes, hasque illis conciliat indoles organi, aut visceris, cujus amiculum formant. Qua de re rheumatismi musculorum, juncturarum, pleurae, peritonaei, maxime in subjectis plethoricis, et juvenilibus *ingenium inflammatorium* (Phlogosis rheumatica), — illi contra nervorum, cerebri, medullae spinalis, et organorum sensiferorum, praeprimis in debilibus et provectioribus individuis *nevro-erethisticum characterem* (Algema rheumaticum) manifestant, utut neque hocce in casu postremo omni careant symphoreseos activae notula, ac ideo latiori saltem in sensu *Nevrhymenitidis* nomen sibi vindicarent.

Ex hisce jam principiis in nostrum casum conversis elucebit morbi, uti eam nobis effinximus, idea, atque justificabitur medendi ratio, diagnosi adprime innixa. — Non negamus equidem, multam hic subfuisse analogiam et cognationem cum illa specie ophthalmiae, quam Ocularii medici, de vocum euphonia, grammaticali convenientia, et philosophica nomenclatura parum solliciti, *Iritidem arthriticam* vocant, (quod idem sonat, ac inflammatio articularis membranae iridis); — maxime

si spectemus dolorem supra-orbitalem, annulum albidum corneam cingentem, atque spumulam mucoso-saponaceam juxta margines palpebrarum secretam. Defuerunt autem essentialia, quae nos de processu phlogistico in iride convincere potuissent, symptomata, uti dolor continuus, caloris interni sensus, color iridis mutatus, atque effectus hypoclepseos lymphatico-plasticae, cujus gratia lentis capsula cum uvea concrescit. — Rubor, quo dolentis oculi conjunctivam suffusam cernebamus, potius pro effectu secundario erethismi, et doloris declarari debuit. Neque levis ille symphoreseos status, qui omnem dolorem vehementem comitatur, et quem proinde in nevrilemate nervorum ciliarium, et propaginum primi rami paris quinti supponere fas erat, sufficientem pro methodo antiphlogistica indicationem praebuisset; experientia enim compertum habemus, similibus in casibus hypererethiseos tormenta dolorum eo acerbiora fieri, eoque rapidius in paralysin ruere, quo magis tractationis debilitantis ope languor directus, et unacum isto erethismus morbosus intenditur. Eandem igitur unusquisque perspiciet differentiam inter Iritidem rheumaticam et Ophthalmodyniam rheumatico-nervosam subesse, quae inter Encephalitidem et Cephalalgiam ejusdem characteris admitti necessario debet.

Decembris. 1817.

		Thermometri		Barometri		Hygrometri
Altitudo maxima	grad.	+ 6. 0.	poll.	28. 3. 8.	grad.	94.
Altitudo minima .	»	— 5. 3.	»	27. 2. 7.	»	71.
Altitudo media . .	»	+ 1.32.	»	27. 5. 7.	»	88.31.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum		7. 3. (a die 5 ad 6)		0. 4. 4. (a die 2 ad 3)		13. (die 6)

Venti dominantes: *Favonii.*

Primis diebus minutae stillarunt pluviae, subsolanis spiramentis advectae; posthac coelum plerumque nubilum, et nebulis densissimis triste. Dies 22. et 23. primitias hyemis tulerunt, tenues utpote nives, sed quae vix natae defloruere coortis austrinis flatibus. Extremo mensis tempore rigidum gelu. Respectu meteorico memorabilis omnino erat tempestas; concurrebant enim maximum totius anni frigus, minimus baroscopii status, atque rara hygrometri altitudo et constantia.

MORBI EPIDEMICI.

Increbescente algore hyberno invaluit quoque *morborum inflammatoriorum ubertas et vehementia.* Organa pneumatica, uti constanter fieri solet, morbidi imperii saevitiem prae aliis sunt experta. Inde *peripneumoniarum* numerosa cohors, et complura ex hoc fonte funera. Nonnullae jam ab omni initio eam offerebant formam, quam practici *pneumonitidem veram* seu *phlegmonosam* appellant; aliae in exordio *catarrhosam* manifestabant *indolem*, e praegressa refrigeratione, cutis siccitate, coryza, et sputis mucosis abundantibus facile arguendam, quae tamen confestim ad phlegmones potentiam elevabantur, in gratiam constitutionis inflammatoriae, ut alibi monuimus, ad insignem gradum evectae. Mares peripneumoniis plures detinebantur, et prae feminis eluctabantur laboriosius. Phlebotomiis, et quidem generosis atque repetitis egebant omnes; nulli tamen aegro plus quam octies sauciavimus venam. Reliquam regiminis antiphlogistici paginam mox sola decocta emollientia radicum Salep, Althaeae, cum roob Sambuci et sale quodam mitiori, emulsiones amygdalarum tenues, vel sorbitiones e decocto Hordei cum Oxymelle et Nitro absolvebant; mox autem, qui casus longe frequentior erat, ad revellentem, sive anta-

gonisticam methodum recurrere opus erat. Morbo adhuc invalescente utebamur sinapismis dorso pedum admotis, et quidem lubentissime versus vesperam, dum consuetae exacerbationes ingrediebantur, ut beneficos medicatricis conatus suffulciremus. Superato phlogoseos maximo impetu, vesicantibus ad suras, brachia, et ultimo ad sternum adplicitis optatam revulsionem ab organo obruto efficere, atque suppressam transpirationem revocare studebamus.

Quae die septimo crisi solemni solutae non fuere, peripneumoniae, repentino virium lapsu, pulmonum scleromate, vel hydrothorace acuto parabant discrimen. Camphora, Calomel, Kermes minerale, et Digitalis purpurea, pro circumstantiarum varietate mox sola, mox in connubio propinata, in plerisque casibus mirabiles tulerunt suppetias; averruncando tamen letho imparia fuere in rustico quinquagenario, cujus historiam in Necrologio sumus exposituri.

Status atmosphaerae eam sortitus est permutationem, quae membranis muciparis majorem, quam serosis struere consuevit insidias; quare pauciora hoc mense fuerunt *rheumatismorum* exempla. Ipsa pleura, in gravissimis etiam peripneumoniis, nonnisi raro compatiebatur. Unicus tantum casus gravissimae inflammationis pulmonum isochronum offerebat *mediastini anterioris* incendium. Diagnosin hujus *Mesodmitidis* deprompsimus ex iisdem symptomatibus, quae jam a famigerato inter medicos Arabes Avenzoare, hunc morbum perpesso, adnotabantur, videlicet: e gravativo dolore in medio thoracis, juxta sterni longitudinem usque ad cartilaginem xyphoideam porrecto; e sensu angustiae et ardoris intestini, inquietudine summa et siti insatiabili. Rarioris complicationis causam potius in praecedente thoracis antici percussione, quam in constitutione epidemica quaesivimus; cecidit enim aegrotans

puer, fabri murarii munere functus, et unacum pondere humeris gestato in lapideum adlisit pavimentum. Octo venaesectionibus absque optato levamine institutis, viriumque statu ad illum moderationis gradum perducto, ut ulteriorem laticis vitalis jacturam non sine metu permitteret, de futura aegri sorte jam ancipites fuimus, dum die nono morbi improvisa et decisiva crisis omne periculum extemplo sustulit, oborto benefico sudore, et urinarum hypostaticarum fluxu.

Febres intermittentes, a praeteritis mensibus residuae, infimam plebem, feminas praeprimis pauperiores, male pastas, pejus vestitas frequentius et gravius conflictarunt. Typum tenebant plerumque *quartanum triplicatum*, ac singulari distinguebantur *in hydropem nisu*. Nihilominus sub paroxysmis aeque, ac tempore eis intermedio haud ambigua diatheseos inflammatoriae indicia dederunt, unde ipse hydrops comes, aut pedissequus, *activus* potius, quam asthenicus dici debuit. — Multiplici complicatione variegatam febrem intermittentem exhibuit rustica gravida, quae simul bronchitide, viscerum obstructione, et hydrope ἀνα σαρκα adfecta sinistri eventus timorem merito incussit. Secundis vero avibus, et citra omnem spem successit cura. Sanguine bis educto, decoctis aperientibus cum Nitro et Cremore tartari, frictionibusque siccis juxta artus albo phlegmate tumentes, jam paucos post dies insignis obtinebatur euphoria. Conticuit tussis importunissima, spiritu liberiori reddito, atque oedema crurum sub urinarum copia, eam potus ter, quaterve superante, mira celeritate consedit. — Interim febris comes, quae prius typum quartanum triplicatum tenebat, in quartanam simplicem commutabatur. Pulveres e Cortice peruviano et Sale ammoniaco conflati sanationis complementum fecerunt.

Non ignoramus equidem febres intermittentes, in-

primis autumnales et quartanas, partim directo modo, partim indirecto, viscerum abdominalium infarctorum ergo, in hydropes terminari. In enarrato tamen casu aliam adhuc concausam in progignenda colluvie serosa concurrisse, vel inde conjecturavimus, quod in aliis quoque aegritudinibus, ab omni diatheseos dialeipyrae, vel emphraxeos viscerum suspicione liberis, uti v. g. in rheumatismis acutis, et pulmonum inflammationibus, effusiones aquosae sat frequenter contigerunt. Insignis, quae hoc mense viguit, aëris humiditas, cutis in plerisque aegris arida, sitis etiam in sanis pauca, vel nulla, urinarum copia eam potus notabiliter excedens, atque auctus intumescentiae oedematosae in hydropicis, etiamsi liberum fuerit lotii iter, haud indifferentia nobis videbantur argumenta, e quibus ad vividiorem inhalationem per viam systematis dermatici concludere. Hanc nostram opinionem corroborare adhuc juvit insignis diaphoreticorum et vesicantium efficacia, quae elementorum secessum (motum centrifugum) promovendo, refraenant eorum ingressum (motum centripetum); nec non observatio a nobis crebro facta, illas febres intermittentes, quarum paroxysmi nullo, vel parco sudore terminantur, in hydropem per eminentiam niti, istum vero sua saepe sponte dissipari, si largior restituatur ephidrosis.

MORBI SPORADICI.

Ubera casuum sporadicorum messis multiplicem nobis praebuit animadversionum copiam. Prae aliis adtingamus quaedam *Nervosium* specimina, vario intuitu mentione digna.

Calceolarius, 40 annos natus, Bacchi strenuus cultor, haemorrhoidalibus per vices obnoxius molestiis, jam a decennio acerbae gastrodyniae insultus expe-

riri solitus, quotiescunque crapulis, vel immodica ingluvie salutaris regiminis regulas transgrederetur. Die 15. Octobris, cum praecedente vespera solito lautius coenaret, et meracius biberet, leviter inhorruit, incaluitque alternatim. Fessa trahens membra, et impar labori consueto, lectum petere cogitur, ubi, praevia oppressione ad scrobem cordis, anxietate, et sensu aurae calidae versus caput ascendentis, sensibus et conscientia protinus privatur, corruitque humi violentissimis conquassatus convulsionibus. Post aliquot horas resipiscit antea actorum immemor, nil praeter summum languorem questus, ac per viginti dies sat bene valet. Incautus vero, et gulae blandimentis imperare nescius, in pristinam rursus incidit labem, quae modo jam quotidie invadit, et quidem sine ulla causa, nec praecursoribus quibusdam annunciata. Nunc epilepsiae, nunc cardialgiae acerbae, nunc simplicis flatulentiae et pyroseos schema ludit, post quinque, sexve horas sua sponte evanescens. — Cum indubia urserint symptomata colluviei saburralis, tincturam Rhei cum sale Glauberi per biduum exhibuimus. Postea ventriculi robur, et systematis nervosi firmitudinem mixturis nervino-tonicis, e Gentianae extracto, tinctura Cinnamomi, aqua Menthae, et Liquore anodyno Hoffmanni conflatis restituere adnixi sumus. Invalescentem per vices *gastrodyniam spasmodicam* Nepenthes Helenae, dulce illud cruciatuum lenimen, adamussim permulxit. Spatio duarum hebdomadarum non solum a ventriculi morsibus, sed etiam a *caduco malo* liberatus fuit, quod, habita originis ratione, mere *sympathicum* fuisse existimavimus.

Quanta sit subiti, atque ingentis terroris in epilepsia producenda potestas, duo casus satis abunde nobis testabantur. — Puer, 14 annorum, compagis gracilioris, ab unguiculis tamen semper sanus, si febrem

tertianam duobus abhinc annis feliciter superatam exceperis, tres ante hebdomadas, cum vesperascente die per agros curis vacuus deambulasset, a cane molosso insiliente ita perterrebatur, ut festinanter fugam peteret, domumque rediret, gemebundus ac toto contremiscens corpore. Totam noctem inter pavida transegit insomnia, per vices expergefactus, et profunde infixam infestantis bestiae imaginem continuo prae oculis habens. Sublucanis horis praevio clamore, canis latratum perfecte aemulante, sensus derepente amittit, dirissimis per pauca momenta agitatur convulsionibus, superstite stupiditate adtonita. Eadem sub forma morbus quotidie semel, bisve invadit, maxime si canis cujusdam intuitu primitiva impressio fatalis revocatur, quin tamen aliud quodpiam, praeter summam timiditatem, experiretur incommodum. Peculiarem hancce *epilepsiae* varietatem, cui similem Van Swieten recordatur, *cynanthropicam* nominare non displicuit; puer enim repetito latratu, quo singuli ordiebantur paroxysmi, se totum idea canis veluti pervasum demonstrabat. — Curam die 9. Decembris incepimus cum purgantibus, eamque perfecimus cum nervinis, speciatim cum infuso radicis Valerianae, et floribus Zinci ad grana sex, serius ad duodecim intra nyothemerum porrectis. Cavimus simul ab illis impressionibus, *a quibus corpus vehementer moveri et perturbari, atque in reminiscentiam morbi referri potuisset*, grave hocce summi Galeni monitum venerantes, qui paroxysmum recrudescentem pulchre comparat renovatae quasi memoriae silentis antea dispositionis epilepticae. Citra nostram expectationem morbum spatio decem dierum protinus dissipatum vidimus, licet ideo puerculum nondum ab omni recidivae metu absolutum crediderimus.

Aliam demum formam *epilepsiae* obtulit adolescens, artis textrinae tyro, quinque lustra vix emensus, qui

jam ante triennium ejusdem morbi casum perpessus est. Quadraginta tunc temporis vermibus pulverum anthelminticorum ope evacuatis, pristinam adeptus est valetudinis integritatem. Ante quinque menses repentino perculsus terrore in eundem incidit mentis *stuporem adtonitum*, quo insultus epileptici pridem ordiri solebant, unde parentes non sine fundamento terrifici mali recidivam sunt hariolati; et revera post pauca momenta aeger omnis conscientiae expers cadit, et dirissime convellitur. Etiamsi quovis ferme die recurreret malum, medicinae opem nonnisi die 13. Novembris imploraverat, Clinicis aedibus receptus. Habito respectu helminthiaseos, quae palmariam epilepsiae perpessae causam praebuisse videbatur, amaricantibus et salinis fistulam intestinalem prius repurgare voluimus. Nulla tamen adparuere vermium indicia. Methodum postea nervino-tonicam amplexi, Valerianam et oxydum Zinci usurpavimus, effectu votis adprime respondente. Paroxysmi epileptici indies rariores, ac leviori intensitate redeuntes post octiduum penitus decesserunt, neque aliud, praeter quamdam stupiditatem reliquerunt posthumum, cui tamen dissipandae insufficientem fore credidimus artem, cum mala conformatio capitis, ad latera compressi, protuberantis ad frontem, innati vitii conjecturam moveret, ab adfinium relatione confirmatam. Quod autem prava illa calvariae architectura in ipso morbo caduco producendo non omnis culpae expers fuerit, supponere sinebat recens morbi recidiva, quam mense Januario expertus est idem juvenis, ea solum differentia, quod quemvis assultum epilepticum nevroblakia totius brachii dextri praecesserit. Hancce recidivam pariter in nostra Schola methodo priori non absimili persanavimus.

Femina robusta, 35 annorum, jam a duobus mensibus quotidie e somno expergefiebat, tanto angore

oppressa, ut summa spirandi difficultate urgente e lecto exilire cogeretur. Paucas post horas sponte complacabantur turbae, superstite tantum lassitudine, dysphoria, ac sensu praefocantis globi ab guttur. Nunquam febriit; appetiit semper, laetumque retulit habitum corporis. — Alia muliercula, ejusdem aetatis, jam ab infantia convulsivis obnoxia motibus, ante duos annos ex improviso sui conscientiam amittit, oculis fixis proximum intuetur objectum, trunco immobili et membris adstantium ferme ad libitum flexilibus eundem ultra mediam horam servat positum, modo suspirans, modo flens, aut subridens. Transacto absque molestia quadraginta dierum intervallo similis denuo invasit accessus, praecursore aura frigida, et sensu ingratae titillationis a pede sinistro juxta abdomen et pectus ad fauces usque adscendente. Ab illo tempore jam crebrius, brevioribus induciis relictis recurrebat, nullo alio caeterum incommodo urgente. — Utrique nevrosi, licet differentem obtulerit formam, prior utpote *Apopnixin nocturnam*, altera *Ecstasin* catalepsi adfinem, eandem subfuisse naturam non dubitavimus, *hystericam* utpote, in feminis millena schemata ludentem. Quapropter hunocce Proteum pathologicum remediis adgredi constituimus nervinis, utero per eminentiam amicis. Pro medicamine mixturam ex aqua Melissae, extracto Chamomillae, et Spiritu aetheris ferrato conflatam, pro potu elixirium acidum Halleri aqua dilutum destinavimus, ambasque feminas germana labe adfectas, et pari tempore apud nos degentes die 20. Decembris, post hebdomadae commorationem, sanas dimisimus.

Diabeten insipidum, quamvis perrarum in praxi morbum, neutiquam tamen, ut Cullen, Reil, et Dobson existimaverant, Nosologorum figmentum esse, sequens nos edocuit casus. Famula quadragenaria, tempera-

menti subfrigidi, compagis laxae, adversis avibus nupta, et a conjuge per plures jam annos divulsa, innumeris ferme vicibus partim graves, partim leves sustulit anginas, quarum reditu tonsillae tantam molem et duritiem sunt adeptae, ut cultro chirurgico extirpari debuissent. Ab illo tempore nullis amplius fauces obnoxiae erant phlegmasiis, solaque remansit mycterophonia. Anno 1810, dum utero gestaret, hydropis abdominalis casum subivit, qui tamen, prole nedum enixa, sine ullo artis adminiculo evanuit. Ineunte anno 1817 ab intolerabili corripitur prurigine per universum cutis ambitum diffusa, per vices recurrente, iterumque disparente, quin aliam hujus molestiae causam, praeter crebrum acetariorum, et carnis sale fumoque duratae usum, criminari scivisset. Quinque demum abhinc mensibus saepius capite doluit, a quo incommodo liberari cupiens medicum adivit, ejusque consilio obtemperans, sanguinem sibi e vena educi curavit. Suffertur quidem cephalalgia, immo et pruriginosi adfectus omne disparet vestigium; ast insolita et clamosa incenditur potandi cupido, urinis, quod ipsius aegrae profanae adtentionem non effugit, potus copiam notabiliter superantibus. Die 2. Decembris in Schola clinica collocatur. Caput ab omni labe liberum; polydipsia insatiabilis, ita ut noctis intervallo 186 uncias medicas epotaverit; orexis imminuta; lingua pura; respiratio normalis, et nonnisi post motum tantisper citata et anxia; abdomen molle, et indolens; conspicua membrorum extenuatio et crurum debilitas; cutis aridissima, corrugata, pergamena; sensus horripilationis quotiescunque frigidam haurit; pulsus quoad numerum et rhytmum normales, molles; lotium limpidum, inodorum, ac fere insipidum, quantitatem potulenti 14 Unciis superavit, analysique chemicae subjectum muriatem sodae et ammoniae, ceu praecipuas partes constitutivas

exhibuit; albumine et acido urico minimam tantum particulam, de acido phosphorico nec atomum continebat.

Inter cunctas diabetis theorias, rationalis pathologiae principiis maxime consona nobis videtur illa, quam Joh. Petrus Frank proposuit, paucis tantum modificanda. Incitatam videlicet praeter modum supponimus systematis lymphatici actionem, et nimis praecipitem processum reductionis, unde efficitur: 1. Quod bibula vasorum absorbentium ostiola rorem animalem et muculentum, quo fauces et os perpetuo humectantur, avide ingurgitent, talique pacto perpetuam siccitatem, inque nervis molestam sensationem (sitim), quae a deficiente udore pendet, concitant; — 2. Quod aucta vasorum inhalantium cutis actione aqueus latex e penu atmosphaerae resorbeatur, atque minuatur contra laticis liquidi per superficiem secessus, ratio copiae urinarum potum superantis, nec non pellis asperae et aridae. Quousque vitiosa haecce resorptio unice ad periphericum corporis ambitum circumscribitur, nulla haberetur ratio, cur etiam altilis fomes ad systema uropoëticum urgeatur; urinae tamen elaborationem imperfectam nemo mirabitur, qui nimis rapidum liquidorum per renes et vesicam transitum prae oculis habet. En ortus diabetis insipidi. — 3. Quodsi vero illorum etiam, quae organismi penitissimas latebras perreptant, vasorum lymphaticorum oscula, in abnormem bibulae adtractionis statum conjiciantur, massa organica altilis, ob brevem nimis moram, necessarium absolutionis gradum adtingere nequiens, ideoque chyli vegetabilis potius quam animalis intra cancellos consistens, praecipiti cursu versus renes depellitur, et unacum urinis forma sacchari eliminatur. En diabeten mellitum.

Hisce principiis nosogeneticis ad nostrum casum adplicitis ante omnia sitim complacare studuimus, nervis

splanchnicis alienam conciliando impressionem, nimiumque temperando erethismum; denique nimis vividum vasorum lymphaticorum motum coërcere nobis proposuimus, nisum e diametro oppositum, seu expansivum concitando. Hisce indicationibus partim remediis narcoticis, partim subemeticis satisfacere rati, infusum herbae Digitalis purpureae, et refractas doses tartari stibiati in potu solutas propinavimus, non absque fiducia emendationis. Ast aegra insana cum nostra molestia, contemtis exhortationibus, jam post triduum ab inchoata cura domum insalutato hospite petiit, nobisque optatam diu animadversionum opportunitatem sustulit.

Glossitis mercurialis, *hypochondriasis* e viscerum abdominalium inveterata labe, *cataracta incipiens*, *urticaria*, *stypsis alvi habitualis*, atque duo *metritidis* exemplaria, in decursu nil obtulerunt non ubique descriptum.

Januarius. 1818.

	Thermometri	Barometri	Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 5. 0.	poll. 28. 5. 3.	grad. 95.
Altitudo minima	» — 4. 6.	» 27. 7. 5.	» 58.
Altitudo media	» + 0. 25.	» 28. —. 12.	» 88.84.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	6. 9. (a die 19 ad 20)	0. 3. 4. (a die 25 ad 26)	36. (die 19)

Venti dominantes: *Favonii*, subinde *Solani* et *Austrini*. Annum asper, gelidusque salutavit Eurus, uberrimis comitatus nivibus, quibus, dum Vulturnus spirabat, propediem fatiscentibus, densae agrum contristarunt nebulae. Dies 11. Solem denuo reduxit, cum eoque amoenitatem *εὐδίαν*, et frigus siccum. Alternabant nunc Auster, Libs, et Argestes impetuosus, perstante semper

notabili barometri elevatione. In Apenninis, et Alpibus Cispadanis paucae nives; inde gelu modicum, mitiusque ventorum imperium. Appetente die 22. hispidis coelum nubibus corrugari, frigusque mitescere occepit. Venti plerumque ab Occasu spirabant, quandoque confestim ad oppositam coeli plagam deflexi.

MORBI EPIDEMICI.

Quae jam mense transacto insignem vehementiae gradum adtigit, *constitutio phlogisticotera*, ne hilum quidem decrevit, particulares vero quasdam obtulit modificationes. Pulmonibus eum in modum infensa erat atmosphaera, ut non solum quamplurimas progigneret *pneumonitides idiopathicas*, sed etiam *rheumaticam labem*, hoc mense in musculos et articulos crebro desaevientem, versus spiritalia adliceret organa.

In duobus aegris dolentissima *arthritide rheumatica* adfectis, jam in exordio morbi summa emicuit spirandi difficultas, ad finem usque duratura. Tormentum omnium fere juncturarum, contrectationem, etsi levissimam, a procul reformidans, motumque artuum prorsus impediens, sudores continui et non levantes, urinae lateritiae et sedimentosae, quin criseos tempus, vel signa instarent, sensus oppressionis et ponderis sterno incumbentis, absentia tussis, nec non dolores tensivi per loca intercostalia huc illuc vagantes, reciproca inter dyspnoeam et cruciatus articulares alternatio, ita ut his increbescentibus illa mitesceret, — sufficientia nobis videbantur, e quibus ad *pneumonitidem rheumaticam* concludere, eaque posita velamentum pulmonis internum, sive serosum pro phlogoseos eminenti substrato declarare liceret. Nobilissimi organi passio gravis, et febris angiosthenica comes utroque in casu repetitas poposcit phlebotomias, quibus ordi-

nario in rheumatopyra nonnisi raro indigemus. Reliquam curae partem explebant potiones laxantes, refrigerantes, ac leniter diaphoreticae, fotus denique adsidui cum stupa cannabina suffitu resinoso imbuta, qua dolentes artus diu noctuque involvi curavimus.

Quod systema dermaticum hoc mense notabiles ab atmosphaerae statu pati debuerat injurias, maximus nos convicit numerus *febrium, atque inflammationum catarrhosarum et rheumaticarum*, sub adeo variatis formis decurrentium, ut earum paucae tantum in Nosologiis extent, quas non licuerit observare, maxime in illis hominibus, qui opificii causa crebris exponebantur vicissitudinibus tempestatis, in ruricolis, famulis, et portitoribus. Inde *anginae, coryzae, tusses, peripneumoniae, et dysenteriae* characteris *catarrhosi*; inde *pleuritides, myositides intercostales*, et *dolores artuum vagi*, indolis *rheumaticae*. Tractamen ubique analogum erat, in principio antiphlogisticum, pro morbi gradu mox lene, mox generosum, simulque diaphoreticum, serius alterans et antagonisticum; in cunctis enim casibus morborum psycticorum cutis munia restituere pro viribus adnitimur.

Horna tempestas hominum saluti eum in modum fuit infensa, ut, neque oculis parcendo, crebras, et plus minusve pertinaces *ophthalmias* produxerit. Nonnullae characterem *rheumaticum*, aliae *catarrhosum*, *mixtum* denuo aliae patefecerunt. Cum tunicam conjunctivam pro substrato habuerint, ejusque territorium non sint egressae, *prosphymenitides* compellavimus. Remedia cathartica multum opis tulerunt, unde confirmatum habuimus Divi Hippocratis canonem: *Ophthalmia laborantes alvi profluvio corripi, bonum* (Coac. 224 De Judic. 83). Impetum phlogoseos topicae, atque molestam sensationem ardoris, siccitatis, ac subtilis velut arenulae oculis illapsae crebris elutionibus cum aqua

frigida complacavimus. Imminuta postmodum inflammatione, superstitem secretionem seroso-muculentam collyrium CONRADII, e grano Mercurii sublimati, drachma dimidia Laudani liquidi Sydenhami, semiuncia mucilaginis Cydoniae, et sex unciis aquae destillatae conflatum intra paucos correxit dies. Unico tantum in casu *blepharophthalmitidis catarrhosae*, quae jam a mense cachecticam anum sexagenariam excruciabat, et pravae procul dubio constitutionis gratia corneam hinc inde arrosit, simplex illa, qua semper cum fructu utimur, medendi ratio non suffecit. Processum phlogisticum sine mora refraenare, et ulteriorem ichorosae exulcerationis, quae corneae lamellas facile depascitur, progressum impedire adnixi, guttulam Laudani liquidi oculo penicilli ope quotidie instillari, unguento stibiato pone aures illinito, et vesicante nuchae imposito promptam revulsionem effici, atque cacotrophiae universae statum Antimonialibus et Dulcamarae decocto corrigi jussimus, in coronidem medelae collyrium adstringens e Lapide divino confectum pluries de die adhiberi curantes.

Pluribus edocti experientiis, quot, et quanti errores in tractatione ophthalmiarum committantur a medicis minus peritis, qui, generalibus tantum dualisticae diatheseos principiis ducti, ophthalmitides eadem prorsus ratione tractandas esse perhibent, uti quasvis alias aliarum partium inflammationes, ac specificam organi naturam et idiosyncrasiam flocci faciunt, — tyrones nostrae Scholae amice exhortari non praetermisimus, ut a summe damnoso cataplasmatum emollientium et collyriorum stipticorum usu cane pejus et angue caveant. Inconcussis observationibus exploratum habemus, determinatas organismi sphaeras individuam quasi vitam ducere, propriis legum generalium modificationibus gubernatam, ideoque non solum propriis suc-

cumbere aegritudinibus, sed etiam processus morbosos ejusdem indolis, ac proinde ipsam phlogosin, eadem caeterum causa inductam, sola substrati diversitate peculiarem formam, immo et naturam contrahere. Hancce vero circumspectionem oculus prae quovis alio organo sibi expostulat, quatenus in mirabili illo microcosmo vix ullum systematum organicorum, e quorum complexu vitae humanae perfectio exsurgit, typum deficere videmus. Plurimum itaque interest, ut prae caeteris determinetur, quaenam oculi sphaera sit adflicta, an scilicet irritabilis, sensitiva, vel organico-plastica, an membrana mucipara, serosa, vel fibrosa? Perspecta phlogoseos sede, atque ad trutinam revocatis generalibus praeceptis aetiologicis et nosogeneticis, clarior habebitur obortae metamorphoseos idea*, et securior in medendo amussis. Copulabuntur tali pacto conceptus specierum adfinium, quae primo intuitu toto coelo discrepare viderentur, e. g. ophthalmitis catarrhosa et dysenteria inflammatoria, utraque phlegmhymenitis; separabuntur contra species heteronymae, ac essentialiter diversae, quae a superficiali observatore et physiologiae ignaro pro germanis haberentur, v. g. ophthalmitis catarrhosa et rheumatica, prior membranae mucosae, posterior serosae inflammatio. Nullus profecto medicus, qui vel limina tantum studii ophthalmologici salutavit, ignorabit, ophthalmiam catarrhosam usum collyriorum blandorum impune tolerare, rheumaticam ex adverso ab omni regimine humido pessime exacerbari.

Febres intermittentes hoc mense nullae sunt visae, nisi aliquot exceperis quartanas ab autumno residuas, quae, in exordio subcontinuae et inflammatoria complicatione inquinatae, decoctis aperientibus tractari debuerant. Ad simplicem denique reductae decursum pervicaces admodum erant, nec alii remedio, quam cortici febrifugo auscultabant.

Quicunque morbos epidemicos anniversarios adcurate observat, facile convincitur eos semper e classe febrium esse, quae mox sine ulla èminenti labe cujusdam visceris incedunt, *febres simplices*, mox topicam alicubi passionem in connubio habent, *febres comitatae.* Ultimo autem casu posito, nullaque alia, praeter epidemicam, prophasi admissa, illa tantum adflictari consuescunt systemata et viscera, quae ad processum vitae organicae, seu vegetativae, individualem conservationem pro scopo habentis, referuntur, uti vasa, nervi gangliares, pulmones, ventriculus, intestina, hepar, lien, membranae mucosae, velamenta serosa, cutis. Instrumenta vitae altioris, animalis etiam dictae, encephalon, medulla spinalis, organa sensifera, atque illa, quae ad vitam propagativam spectant, uti ovaria, uterus, testes, ab epidemicis influxibus, directa saltem ratione, nunquam offenduntur; quapropter eorum inflammationes potius sporadicis casibus adnumeramus. Nec adeo arduum foret pensum, hujus phaenomeni rationem reddere, si praedictarum partium specificam relationem ad longe alius generis incitamenta, quam quae periodicis anni temporum evolutionibus, vel fortuitis atmosphaerae variationibus comprehendi possunt, animo curatiori pervolvimus. Hinc etiam *metritidem* et *febrem puerperalem*, hoc mense observatam, e tribu epidemicorum exclusimus. Priorem *dysmenia*, posteriorem *partus summe laboriosus* progenuit. Nulla venaesectionis necessitate urgente, sola decocta refrigerantia, eccoprotica, clysteres oleosi, cataplasmata emollientia, atque spongia tepido humore imbuta, et sinui continuo admota complacandae irritationi uterinae, et revocando stillicidio cohibito suffecerunt.

Empiricam medicinam in casibus dubiis et obstinatis, ubi rationalis medendi methodus votis non respondet, neutiquam despicatui habendam esse, dummodo sanae pathologiae et jatreusiologiae principiis non adversetur, unusquisque concedet. *Metrorrhagiam* vero unam ex illis feminarum molestiis sistere, quae difficilem persaepe medelam admittunt, nemo practicorum inficias ibit; quapropter novum cognoscere medicamen, quod jam a multis annis summo cum emolumento adhibere solemus, certe non displicebit medicinae cultoribus. Sequens casus remedii efficaciam palam corroboravit. — Femina hysterica, 21 annorum, morbis inflammatoriis saepius obnoxia, immodicisque venaesectionibus fere exinanita, die 18. Januarii abortivit, violenti terroris gratia, subsequenti effraeni haemorrhagia. Massa enixa placentae et ovi indubia exhibuit rudimenta; penitius vero indagatum ovulum omni carebat foetus vestigio, nil praeter liquorem albuminoso-cruentum continebat, atque probabiliter, nisi abortus intercurrisset, vel in molam, vel in hydrometram degenerasset. Levis ad hypogastrium dolor, atque motus febriculosi comites, irritationis uterinae suspicionem moverunt; quare curam a leniter antiphlogisticis, potubus acidulis, et fomentis frigidis ordiri decrevimus. Evanuit brevi tam phlogoseos pedisequae, quam jugis haemorrhagiae metus; at rebelle perstitit *stillicidium cruentum*, de cujus suppressione cogitantes ad sequens refugimus pharmacon, quod in metrorrhaeis passivis, sive cruentis, sive mucosis ferme nunquam incassum periclitati sumus.

R. Rad. Rhei electi drachmam semis
Magnesiae carbonatae
Boli armenae
Sacch. albi ana drachmam unam

M. Fiat pulvis. Divid. in doses aequales numero IV.,

intra nycthemerum consumendas. Altera die repeti jussimus medicamentum, quod alvum aliquoties civit, atque stillicidium velut extemplo dispulit, non amplius rediturum. Non inficiamur equidem, alvum tumultuarie motam in reprimendo fluxu uterino quadantenus prodesse potuisse; quum tamen alius generis cathartica adeo evidens emolumentum neutiquam adferant, suspicari licet medicaminis propinati efficaciam aliunde, quam e solius rhabarbari purgante vi dependere. Agendi modum vero explicare nondum ausi, remedium interim pro empirico habemus.

Quantis diagnosis *morborum praecordialium* prematur difficultatibus, cuivis practicorum satis superque notum est, neque peritissimos in arte viros pudet confiteri, occultas id genus labes persaepe praetervidisse. Quatenus semiotica unice observationis penes lectos aegrorum fructus est, simulque palmarium diagnostices adjumentum suppeditat; eatenus non pigebit sequentem *Carditidis lentae* exponere casum.

Adolescens, 16 annos natus, murarius, gravioribus, quam tenella aetas impune ferre potuisset, laboribus adstrictus, tres ante annos ab arbore alta delapsus gravem dorsi et lumborum sustulit contusionem, aptis praesidiis fortunate dissipatam. Elapso mense Julii 1817 contentiones inter et rixas furcae manubrio gravem ictum super cordis scrobem accepit, quem statim dolor fixus, dyspnoea, cardiopalmus, oppressionis sensus, et febricula sequebantur. Neglectum, ac improvisa refrigeratione exacerbatum malum a quinque phlebotomiis, pulveribus temperantibus, atque decoctis mucilaginosis aliquod quidem cepit levamentum; pristina vero, quae opificii exercitium admitteret, valetudo recuperari nequivit; immo suborta posthac febris hemitritaea aegrum per plures menses lectulo adfixit. Die 1. Januarii Clinicam in palaestram recipitur. Ca-

pite dolet; e somno saepius expergefactus reficiente vacat quiete; rubet in vultu; parum adpetit; linguam refert humidam et albicantem; per vices angitur cum sensu oppressivi doloris in sterno; tussit, et paucum mucum puriformem sputat; in utrumlibet cubat latus; interdiu tantillum calet; pulsus exhibet naturalibus parum citatiores, rhytmo ac tempore aequales, moderate fortes. Vesperi febrit ad concubiam usque noctem. — Morbum, pro lenta peripneumonia habitum, decoctis mucilaginosis, eccoproticis, et leniter diapnoicis, nec non diaeta adcommodata tractandum proposuimus. Triduo exacto vespertinis horis insuetus accenditur orgasmus, cum respirationis molestia, palpitatione cordis, pulsibus quidquam irregularibus, atque invito suspiria trahendi conamine. Secatur vena, et emulsio amygdalarum cum nitro praescribitur. Die 5. remissio symptomatum omnium. Die 6. recens sub vesperam exacerbatio, cujus causa denuo uncias octo cruoris educi curavimus. Sanguis extractus tenuem et molliusculam formavit crustam. Continua nunc, etsi non gravissima urget anxietas et inquies, cui sublevandae aeger in lecto huc illuc jactitatur, ac saepe profundum transitorio cum levamine adtrahit spiritum, nec minimam sub ejusmodi iterato tentamine querens molestiam; tussis nulla; cordis palpitatio aequabilis; pulsus per vices tantum irregulariter micantes; momentanea, dum surgit aeger, scotodinia. E syndrone horum phaenomenorum jam clare eluxit, praecipuam passionem in praecordiis esse, pulmones vero nonnisi secundario, et symptomatico modo consortium inivisse. Morbum pro *carditide lenta* declaravimus, quin eum tamen ab omni effusionis serosae suspicione prorsus liberum habuerimus. — Digitalis purpurea pro nostro casu summe idoneum videbatur pharmacon; ejus itaque infusum saturatum e drachma una ad colaturam

unciarum sex confectum, quotidie consumendum dedimus. Obortis sexta die signis narcoticae actionis, obnubilatione visus, nausea et pulsuum tardiori micatu, ab ulteriori usu desisti jussimus. Postquam transitoriae illae turbae penitus conticuerunt, morbus vero desideratum nondum obtulit decrementum, secunda vice digitalem periclitari decrevimus, semina Foeniculi una infundendo, quo connubio usum diutius protrahere posse speravimus. Suspirandi necessitas indies rarescens, motus cordis pacatiores, illique arteriarum magis regulares, omnis febriculae absentia, orexis restituta, ac sensus euphoriae generalis, egregiam pharmaci electi virtutem vindicarunt, faustumque dederunt omen proximae salutis, quam revera mensis intervallo secutam laetabamur.

Quotiescunque in morbis pectoris, tam acutis, quam praesertim chronicis dubium enascitur, an pulmonibus, an vero praecordiis insideat labes, respirationis modus, et maxime *suspiria* quaestioni haud parum lucis foenerant. — Si pulmones sanguine obruti, aliave ratione infarcti, vel ab effuso in cavum pectoris latice compressi sunt, dilatatio et explicatio, quae ab adtracto aëre fit, nonnisi incompleta erit, neque optatum illud, quod aegri tentata profundiori aspiratione parare sibi student, solatium adferret, — solatium etiam sanis hominibus carum, ubi longiori intervallo pulmones ad satietatem inflare non licuit. — In praecordialibus contra adfectubus, molesta sensatio angoris, oppressionis et plenitudinis ea ratione lenitur, qua pulmones aëre inflati, ac veluti saturati majorem sanguinis e corde dextro recipiunt copiam; namque non solum languidus circuitus expeditur, et molesta quae inde scaturit, anxietatis sensatio dissipatur, verum etiam momentanea sequitur refocillatio in gratiam sanguinis venosi, per aëris uberius aspirati influxum, dephlo-

gisticati, et in arteriosum conversi. Quamobrem, si aegros crebra trahere suspiria, idque cum solamine fieri videmus, fundatam semper alere fas est suspicionem vitii praecordialis, in corde, vel vasis majoribus. Qualescunque fuerint causae, quae transitui libero sanguinis per caveas cordis dextras, ejusque influxui in arteriam pulmonalem obicem ponunt, — sive copia excedens laticis vitalis (in carditide, cardievrysmate, peripneumonia, sub cursitatione), sive impedimentum mechanicum (in hydrothorace, hydropericardio, diclostosi, polyposis sarcomatibus), sive simplex nervorum cardiacorum infirmitas (uti sub tristi pathemate, in melancholia, hysterismo), — automaticus diaphragmatis concitari solet motus, quo pulmones explicantur, sanguinis in ea influxus promovetur, parique tempore sensus opprimentis angoris saltem pro momento permulcetur; nisi in ipsis pulmonibus obstaculum fuerit, quo posito suspiria profunda trahi nequeunt, imperfecta vero non solantur. — Obveniunt nihilosecius in praxi cordis vitia, quorum sub decursu rariores, minusque manifesti esse consuescunt conatus suspiriosi. Quodsi extispiciorum ope decideretur, in ejusmodi casibus cordis sinistri vitium fuisse, tunc etiam phaenomeni rationem quivis facile intelliget, dummodo animum ad anatomicas et physiologicas, quae cor inter et pulmones vigent, relationes convertat. Haecce autem nostra conjectura adhuc multo majorem verosimilitudinis gradum adipiscitur, si computamus, rariores esse casus vitiorum praecordialium sine suspiriis, innuente experientia, minusque pronam sphaeram cordis sinistram in vitia tam dynamica, quam organica, docentibus necroscopiis, et suadente physiologia; cor enim sinistrum, partim ob compactiores et fortiores parietes, partim ob majorem energiam vis muscularis, sanguine e pulmonibus vix egresso

ac ideo efficacissimo extimulatae, quaecunque circulationis impedimenta facilius superare valet. Concludimus itaque *suspiria in morbis praecordialibus essentiale esse symptoma, et si cum solamine trahuntur, vitium cordis dextri, sive sphaerae venosae indicare.*

Haemorrhoides in agricolis nostratibus haud infrequens sistunt malum. Cum vero in iis vita sedentaria, suetissimus alias haemorrhoidum fons, incusari nequeat, rationem alibi quaerere oportet. Magni splenes, hepatis emphraxes, alvi siccitas et oppilatio, compages laxa, atque remotiori intuitu clima udum, febres intermittentes diuturnae, rebelles, recidivae, usus polentae Mays, quatenus ventrem stipat, in feminis nixus ad partum, quammaxime contribuere videntur. Posita semel diathesi morbosa in systemate venoso abdominali, ejusque effectu vario, atonia vasorum, motu sanguinis inerti, congestione passiva, vel vera stasi, et inprimis varicositate venarum haemorrhoidalium, nil mirum erit, si et contermina organa, vasorum anastomosibus connexa, in consortium trahantur, uterus in feminis, vesica urinaria in viris, labemque contrahant illi analogam, qua uterque sexus ad infimum cloacae intestinalis ostium conflictari solet. Inde *haemorrhoides uteri*, et *vesicae*, earumqne sequelae haud raro funestae in ea classe habitantium, quam a simili malorum genere omnino immunem crederes. En memorabile exemplum.

Rusticus, 54 annorum, inter oryzaria et irrigua pascua egenam ducens vitam, innumeras febres intermittentes jam passus, haemorrhoidalibus saepe obnoxius molestiis, adeoque enormi foedatus lienis parectamate, ut ferme totam occuparet regionem epicolicam, die 13. Decembris 1817 ex improviso corripitur dolore pressivo ad bulbum urethrae, accedente mox tenesmo ad matulam, lotioque guttatim tantum, et

cum ardore exprimendo. Chirurgus accersitus venam pertundit, alvum mixtura eccoprotica subducit, et abdomen cataplasmatibus foveri jubet. Crescit nihilominus malum, et die 16. interceptum prorsus urinarum iter cathetere aperiri debet. Die 17. Scholam clinicam ingreditur. Dolor fixus et continuus ad regionem pubis omnem reformidat contrectationem rudiorem; musculi abdominales tensi; hypogastrii tumor durus, etsi vacua sit vesica; mictus ardens et stranguriosus; urinae paucae, guttatim expulsae, turbulentae, sanguine commixtae; hepatis atque lienis ingens obstructio et hyperepidosis; alvus oppilata; febricula irritativa, vesperi exacerbata. — Hirudines perinaeo adpliciti, fomenta emollientia, emulsiones nitratae, et clysmata laxantia levamen quidem tulerunt, impedire autem nequiverant fatalem exitum, quem inflammatae *haemorrhoides vesicae* jamjam moliebantur. Die 20. sub tenesmo summe dolenti tres circiter unciae puris genuini unacum urinis profluxerunt, cum levamine molestiarum. Praeter emulsionem nitratam dedimus decoctum Althaeae tamarindatum cum cremore tartari. Quotidie modo notabilis copia laticis purulenti, mox lotio intime commixti, quiete tamen statim separandi, et album sedimentum formantis, mox citra mictum sub alvi nixu educitur, unde apostema extra vesicae cavum, etsi non totum, pro parte tamen suspicati sumus. Ea proportione, qua *cystorrhoea purulenta* continuabat, considere vidimus durum illum tumorem, qui sub hypogastrio latitabat, paulatimque decrescere molestias stranguriosas, urinis jam sat libere profluentibus. Die 25. inopinato *pleurodyne rheumatica* oboritur, quam aeger nocturnis horis ad sellam perforatam contraxisse videtur. Intra paucos tamen dies hoc epigenema pannis laneis loco dolenti diligenter adplicitis dispellitur, superstite semper adhuc pyuria, et febri-

cula depascente, cui a sublucanis sudoribus nullum levamen. Decoctum radicis Althaeae et herbae Millefolii pro usu interno, et unguentum mercuriale pro frictionibus, juxta perinaeum instituendis, seleximus. Die 28. genu sinistrum intumescit ac dolet, parique tempore levis in ventre animadvertitur fluctuatio, quin vel minimam recentis mali causam eruere potuerimus. Gononco seroso indies crescenti, eamque speciem referenti, quam chirurgi *tumorem album* nominant, vesicantibus ad latera patellae adplicitis mederi curavimus, et profecto intra mensis spatium resorptionem laticis serosi in vaginis tendinum, et textu celluloso effusi obtinuimus, tumidumque genu ad normam reduximus. Ut vero simul et hydropicae diathesi obviam eamus, et quidem praesertim *hydrocoeliae*, cujus indubiam fidem fecit undulatorius ventris explorati motus, praeter decoctum herbae Millefolii pulveres e radice Squillae recentis et Cremore tartari ordinavimus. Jam ultimis diebus mensis Januarii sedimentum purulentum imminui, et in mucum converti coepit, quare omnem nostram curam contra hydropem convertimus, cujus genesis ex inveterata viscerum labe, e diuturna suppuratione ad collum vesicae, nec non e comite diathesi rheumatica sine negotio concipi potuit. Ast maleficae furiae nondum acquiescebant in recentibus damnis parandis, ita ut aeger, mille continuo implicitus periculis, dulcem sanationis spem amiserit, moestus atque desperabundus. Ineunte quippe mense Februario, et quidem denuo absque causa evidenti, ad eandem thoracis plagam, quam paucas ante hebdomadas pleuralgia tenebat, recens emicat dolor, atque tumor obscure fluctuans, comite tussi, et sputamine lurido, foetido, purulentum laticem perfecte aemulante. Continuat interim febricula symptomatica, immo novo veluti syrmate aucta increbescit; hinc inde furunculi

per superficiem corporis prorumpunt; pyuria vero recentibus hisce turbis, vices quasi agentibus, extemplo dissipatur, urinarum fluxu et qualitate, ut in sanis. Vesicans largum tumori dolenti admotum, atque usus adsiduus Squillae, radicis Polygalae Senegae, et pulverum Doweri, decoctis mucilaginosis, et nutriente diaeta intermixtus eo tandem perduxere statum rerum, ut aeger, jam Silicernio proximus, ab omnibus incommodis liberatus (splenem magnum si excipias) die 2. Martii laetus et ovans proprios petierit Lares. Admiranda sane erat tot malorum ilias, haemorrhoidum vesicae, ischuriae, pleurodyniae rheumaticae, gononci serosi, emphraxeos et parectamatis viscerum, ascitis, atque dyscrasiae purulentae cum secretionibus variis, in vesica (pyuria), in pulmonibus (pyoptysis), in cute (eruptio furuncularis), et febri tabifica, quae omnia ancipitem aegri sortem reddere necessario debuerant. Si vero totam malorum catenam quidquam curatius perpendimus, mutuam quandam relationem inveniemus, ita ut si non cuncta, saltem pleraque ejusdem radicis stolones viderentur. Quaenam autem labes genitrix fuerit, et qualis inter ejus soboles relatio genealogica, decidere non sumus ausi. Conciliandis theoriae humoralis osoribus, ac pluribus, quae cacochymiarum existentiae opponi volunt, dubiis dissipandis adprime idoneum casum fuisse, arbitrabamur.

Versipellis *hysterismi* speciosum exemplar obtulit femina, 20 annos agens, decem natorum mater et nutrix, irregularibus fere per totum pubescentis vitae curriculum usa menstruis, nec aliis unquam, nisi uterinis, morbis obnoxia. Ineunte anno 1818 corripitur carebaria, coryza, dyspnoea, atque impetuosis tussiendi conatubus, sub quibus sanguinis puri et spumosi uncias quasi decem ejecit, quin aliam, praeter catamenia jam a sex mensibus suppressa, et a paucis

tantum diebus parce stillantia, criminandam crederet causam. Absque artis medicae adjumento conticescunt illae turbae; ast iterum redeunt, et quidem vehementia majori. Die 15. ad nos delata, praeter *haemoptysin*, dolores uterinos juxta ligamenta lata diradiatos, levesque artuum tremores convulsivos accusat. Utitur decoctis emollientibus, et emulsis nitratis, quibus humorum orgasmum temperare, et incitationem vitalem justo magis incitatam componere adnixi sumus. Die 16. minorem expuit cruoris copiam; efflorescunt maculae rubrae in cute, ac si minio picta foret, brevi tamen fatiscentes (*roseola*); noctu *praefocans anxietas* aegram adgreditur, post horae spatium copiosis, limpidissimisque urinis soluta. Die 17. haemoptysis intenditur; interdiu cephalaea gravativa, et micatus tremuli artuum inferiorum; vesperi aegram vidimus *mente per vices emotam, et aliena mussitantem.* Die 18. dolor capitis acutissimus; suspiria crebra; *palpitatio cordis; tormina ventris;* urinae aquosae, abundantes. Pulveres camphorati, infusum Chamomillae, et emulsio nitrata alternatim propinantur. Die 19. nocturna apopnixis; *pleurodyne dextra;* nullum sputum cruentum; ardor in visceribus. Die 20. vehementissimus *assultus convulsivus* aegram inauspicato invasit, ut neque duobus infirmariis quassata membra coërceri potuissent, comite mentis emotione temporaria. Post medium horae cuncta evanuere. Camphora cum floribus Zinci, atque mixtura antispasmodica ex aqua Chamomillae, spiritu Cornu Cervi, et pauxillo extracti Hyoscyami pro medicamine fuere selecta. Die 21. apopnixis noctu septies redibat, restante levi *scelotyrbe*, et summa membrorum lassitudine; pupula ultra morem hiabat, urinis ubertim fluentibus. Die 22. *cephalaea acerba; lucis intolerantia;* sitis insatiabilis; pleurodynia. Remediis, ut supra, praescriptis adjungitur haustus Opiatus, atque duo sina-

pismi suris adponuntur. Die 23. levamen adeo luculentum, ut feminam sanam credidisses. Die 24. praevia *leipothymia* menstruus comparet fluxus. Abstinetur ab Opio. Die 25. cephalaea; vertigo; *globus hystericus ad guttur; stranguria.* Die 26. a fluentibus catameniis notabilis euphoria. Die 27. accessus febrilis; *scotodinia;* alvus torminosa, tenesmoidea. Die 28. uteri stillicidium exactum; recentes insultus anxietatis suffocativae; pervigilium. Huic symptomatum catervae fere incredibili, ac omni die varianti, posthac alia quoque successerunt, *diplopia, fletus involuntarius, hyperhaphia,* seu talis universae cutis sensibilitas, ut a levissimo etiam adtactu doleret, *gastrodynia, ruminatio,* ac tandem vera *melaena,* vomitus utpote sanguinis nigri grumosi, bile et ingestis commixti. Inter ejusmodi lugubres et lacrymosas tragoedias proteiformis illa clades usque ad 7. Martii excurrebat, qua die aegra domum petiit, levata quidem, sed non sanata. Plurima remedia nervina et antispastica periclitata fuere; nullum tamen turbis hystericis magis idoneum vidimus, quam mixturam ex Asa foetida et Castorei tinctura conflatam. Haematemesin decoctum Chinae cum elixirio anglicano propediem repressit.

Inflammationis catarrhosae neglectae, dum adversis avibus decurrit, eminentem nisum in exulcerationes mali moris confirmare juvit casus *anginae chronicae,* in viro quinquagenario observatus. Ἕλκος κακοήθης medietatem palati mollis jamjam erosit, uvulamque eum in modum destruxit, ut residuum frustulum, quod omni momento in fauces delabi minabatur, forbice rescindere conveniret. Cum aeger religiose confessus esset, se nunquam venereo viro infectum fuisse, nullaque signa ejusmodi conjecturam corroborare valerent, immo angina cunctis, quae *catarrhosam inflammationem* distinguunt, symptomatibus stiparetur, ei genesin *ul-*

ceris maligni tribuere non haesitavimus. Remansit tamen suspicio, scabiem rebellem et diuturnam, quam aeger ante aliquot annos passus est, germen alicujus cacochymiae posuisse, et ad praesentem anomaliam quadantenus contulisse. Taediosam curam usu Calomelanos, gargarismatibus adstringentibus, atque Lapide infernali, quo luridi ulceris lardaceam superficiem et callosos margines quotidie, summa tamen circumspectione tangi jussimus, donec laetus in fundo et ambitu adparuit rubor, felici omine perfecimus.

Reliqui casus sporadici, hoc mense obvii, quos inter *hemiplegia*, apoplexiae posthumum, *ulcera venerea* ad praeputium, et *helminthiasis e Taenia Solium*, particulari mentione non sunt digni.

Februarius. 1818.

	Thermometri		Barometri			Hygrometri
Altitudo maxima grad.	+ 9.	0.	poll. 28.	9.	6.	grad. 93.
Altitudo minima . »	— 1.	5.	» 27.	2.	5.	» 52.
Altitudo media . . »	+ 2.	92.	» 28.	1.	1.	» 79. 41.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	8.	3.	1.	3.	3.	41.
	(die 19)		(a die 22 ad 23)			(die 23)

Venti dominantes: *Favonii*, *Solani*, sub finem *Aquilonares* impetuosi.

Exordium mensis asperum et inconstans; nubes densae, alternis propemodum diebus in pluvias resolutae; frigus mite. Die 15. fuit nivis aliquantum. Memorabilis erat dies 23. qua mercurius barometri ab insigni elevatione poll. 28. 9. 6 diei praecedentis, (quae maxima fuit in toto anno) ad 27. 6. 3 subsedit, spirante Argeste vehementi, iterumque post meridiem ad 28. 8. 2 adscendit, hygrometro interea a maxima altitudine 93 graduum, ad minimam 52 de-

lapso. Erat illa ipsissima dies, qua terrae motus Genuenses quassabat oras. Exeunte mense vernus tepor; laete florebant Violae arvenses, papilionesque hinc inde volitabant. Die 27. tonitrua e longinquo, frremente Aquilone.

MORBI EPIDEMICI.

Ubera etiam hoc mense succrevit morborum seges, quin tamen multum dispar fuerit eorum indoles. Persistens hactenus genius constitutionis hybernae multas accivit *peripneumonias*, quae, licet *catarrhosam* ubique defenderint indolem, insignem nihilosecius, et quidem maxime in viris, adeptae sunt vehementiam. Unico tantum in casu morbum sine phlebotomia devicimus; secus generosis, et repetitis venaesectionibus opus erat. Sanguinis caeterum minor plasticitas, quam elapsis mensibus. Moliminum criticorum talis efficacia, ut die 7. vel 9. plerumque phlogoseos impetum, fere fulguris pernicitate, fregerint, vel saltem laudabiliter cicuraverint. *Pleuro-pneumonitis catarrhosa* gravissima in Caseario, septimum aetatis lustrum emenso, octo phlebotomiis ne hilum quidem obediens, atque ultra nonum porrecta diem jam funesti exitus metum incutiebat, dum ad vesperas diei 11. benefica incendebatur lucta, quae, sudoribus profusis et copiosa anacatharsi summo cum levamento obortis, aegrum e limine mortis eripuit.

Concedimus equidem peripneumonias subinde *apostaticis* resolvi *crisibus*, ac prae caeteris salutares esse sudores, maxime ubi morbus e refrigeratione ortum duxit. Imminens vero, quod gravis inflammatio pulmonum minari solet, periculum, nunquam tutius dissipari videmus, quam si copiosa simul, crassa, viscida, et plastico fomite scatentia sputamina secedant. Hujusmodi *crisi idiostatica* non solum phlogosis retunditur,

verum etiam impactus latex lymphaticus, vasorum capillarium ope in blennam conversus, eliminatur, atque hydrothoracis non minus, quam suppurationis et scleromatis exitus averruncatur. Pervicax cutis siccitas, et sputorum penuria, vel suppressio in cunctis peripneumoniis, et praecipue in catarrhalibus, mala semper nobis praebent auguria.

Probe gnari, hasce vias salutis unice naturae viribus aperiri posse, nostram curam solerter eo dirigimus, ut reactiones vitales suppressae (creberrima arescentium fontium animalium in morbis inflammatoriis causa) liberentur; vel si languor et inertia succedat, debita circumspectione invigorentur, id est, ut in systemate vasorum capillarium vividiores concitentur contractiones, quin sanguinis circumeuntis orgasmus incendatur. In primo casu venaesectiones, lotiones frigidae, et vapores emollientes ore aspirati, in secundo vesicantia, Calomel, et Antimonialia summe efficacia nobis semper fuerunt diaphoretica et anacathartica. His ultimis, interposito usu pulverum Doweri, pariter cum emolumento usi sumus, in pertinacibus illis blennorrhoeis pulmonum, phthisin pituitosam persaepe simulantibus, in quas fere omnes hujus mensis pneumonitides abiverunt. Ubi pleurodynia comes erat, eam quasi constanter sinistrum latus excruciare vidimus, causam phaenomeni hujus in lienis parectamate quaerentes, quo pauci agricolae immunes esse consueverunt.

Innumeris observationibus evictum est, circumstantias, quae *febres intermittentes* invitant, ab illis, quae *continuis* patrocinantur, essentialiter differre, sive demum individuales, sive universales fuerint. Ita priores aequinoctiorum, posteriores solstitiorum soboles ordinarios esse, nemo practicorum ignorat. Solent autem et istae, et illae tanto meraciores observari, quo magis hebetantur conditiones adversae, et quo plus contra

intenduntur propitiae. En ratio, cur ipsae febres intermittentes sporadicae, vel epichoreae emoriantur, dum epidemia brumalis inflammatoria, vel aestiva biliosa insolitum vehementiae gradum adtingit, illa vero, quae fortuito occurrunt, specimina ad subcontinuum typum inclinent, — et cur febres continuae, tempore aequinoctionali obvenientes, in periodicas nitantur exacerbationes. Ergo evolutiones grandimundiales etiam in casibus extraordinariis sua jura super entia terrestria defendunt. Non obstupuimus idcirco, hoc mense, qui adhuc totus hyemis speciem tulit, nullum prorsus *febris intermittentis* exemplar obvenisse. Posthumum solum, ab autumnali quartana relictum curandum habuimus, eo intuitu singulare, quod-nos edocuerit cholopoëtici muneris labem oriri posse, quin evidens in hepate vitium adpareat. Fuit nimirum rusticus strigosus, 30 annorum, jam ab aliquot hebdomadis satura *aurigine* desfoedatus, qui lienem obtulit voluminosum et durissimum, in dextro contra hypochondrio nec intumescentiam, nec minimam molestiam; ipsa alvus ut in sanis suo correspondebat muneri. Decoctis amaro-solventibus cum arcano duplicato, atque frictionibus cum linimento volatili eo perduximus aegri statum, ut splenis volumine et duritie notabiliter imminutis ipsa cholopoësis ad pristinum restitueretur, atque icterus ex integro dissiparetur.

MORBI SPORADICI.

Insueta frequentia *adfectuum cordis*, et *vasorum majorum* nostram non sine jure concitavit adtentionem: Praeter *carditidem lentam*, fausto omine persanatam, cujus mentionem supra fecimus, atque *hydropericardion incipiens*, hoc mense visum, nullaque descriptione dignum, trium duntaxat mensium spatio *decem*

dubia *vitii anevrysmatici* exhibuere indicia, reliqui *angiosthenia* simplici adfecti videbantur, quam tamen veluti praeludium funestae metamorphoseos evoluturae considerare propendebamus, variis argumentis persuasi.

Tametsi longe alieni simus, quam ut hasce *angioses* pro epidemicis morbis proprie talibus declaremus ideo, quod plures una homines citra morem conflictaverint, — numerus enim aegrorum non fuit talis, ut morbus popularis sive universalis dici potuisset; — nihilo tamen secius rationi consonum erat, universalem quamdam prophasin supponere, quae plurium illorum individuorum organismum ita disposuit, ut levioribus etiam causis privatis accedentibus morbosus status in systemate vasorum evolvi potuerit, quem alias nonnisi potentiores producere valent. Quapropter rati sumus, constitutionem epidemicam unice *momentum proëgumenon* suppeditasse, *momenta occasionalia* vero mere sporadica fuisse.

Si perpendimus animi pathemata deprimentia, metum, tristitiam, pavorem, ortui vitiorum praecordialium mirum in modum favere, immo publicis sub calamitatibus atque terroris panici occasione crebriora visa fuisse anevrysmata, uti Vindobonae, anno 1809 a Franco-Gallorum exercitu obsessae, observavimus; tunc jam in praecedentibus tumultibus bellicis annorum 1814 et 1815, demum in annonae caritate, pestilentia typhosa, et publicis angustiis annorum 1816 et 1817, quibus ferme nulla Langobardiae provincia non occubuit, haud contemnendam causam infractae energiae vitalis et majoris sensibilitatis, praesertim in gente paupertina, et misero victu nutriri solita, inveniemus. Si demum animo pervolvimus insolitam illam vehementiam atque ferociam, qua horna constitutio hyberna invasit et decurrit, non mirabimur amplius,

vividiorem vasorum reactionem ea ratione auctam fuisse, qua sanguis magis oxydatus et plasticus potentiorem exhibuit stimulum. Egomet ipse, antehac nulli cordis, aut vasorum passioni obnoxius, ineunte mense Februario anni 1818, qui fuit primus meae commorationis Ticini, molestam persentiscere coepi pulsationem in omnibus vasis, et praesertim juxta decursum aortae, quod incommodum adpetente aestate ferme ex integro evanuit, adpropinquante hyeme denuo redivit, et ita per complures annos, donec penitus cessaverit. Hactenus de momentis *proëgumenis* angiostheniarum et anevrysmatum inter nos observatorum.

Quod momenta *occasionalia*, sive causas *efficientes* adtinet, data dispositione morbum tanto facilius progignere valentes, praecipuam criminis culpam habuisse videntur: pathemata excitantia, effervescentia iracunda, vindictae cupido, animus sceleris conscientia continuo agitatus, terror gravis et repetitus; trunci inclinatio diuturna sub evulsione zizaniae, aliisque laboribus agrestibus, vel opificiis, abusus vini male fermentati, materia extractiva et adstringente divitis; crapulae frequentes, stases in systemate venoso abdominali; menischesis; alvi segnities et nixus ad sellam perforatam. Eorum nonnulla, irritabilitatem arteriosam extimulando, sanguinem impetuose e corde versus vasa majora urgent; alia ulteriorem a vasis majoribus ad minora (quorum tamen simul sumtorum major est capacitas) promotionem impediunt. Ambis concurrentibus tanto certior erit effectus, quem sublata inter molem sanguinis et alveorum capacitatem proportio necessario producat, oportet. Aetas in morbos systematis irritabilis, ac proinde etiam in vitia praecordialia et angioses κατ' ἐξοχὴν prona, est illa inter pubertatem et maturam virilitatem. In diversitate sexus particularem dispositionem reperire nequivimus.

parte vividiorem luctam concitant, ex alia aequabilem sanguinis distributionem praepediunt, vasorum parietes pari vigore renitantur, *simplex* oritur *angiosthenia*, vel *angioitis*, eousque duratura, donec hebescentibus pedetentim causis, debita therapia adhibita, atque factoribus vitalibus exaequatis morbosus componatur aestus. — Cedentibus aequali ratione ac per omnem fere ambitum vasorum majorum parietibus, pristinamque capacitatem recuperare nequientibus, aequabilis remanet, utut quasi insensibilis, dilatatio, *universalis angiectasia*, seu *diastole*, comite angiosthenia perenni, cujus exempla offerunt strenui bibones. — Cedente denique parietum renisu in aliquo vase infirmo, aut praeter modum obruto, mox *topica* sequitur *amplificatio*, seu *dilatatio simplex* omnium tunicarum (qui casus rarissimus, nisi cor, aortae egredientis initium, et vasa venosa excipias); mox rumpitur membrana penitissima, ac secuta diaschisi fibrarum muscularium secundae, in saccum expanditur tertia, seu cellulosa, vasis amplitudine et diametro ne hilum mutatis, unde *Anevrysma simplex* in stricto sensu Sennerti, et Scarpae; mox uterque una obtinet casus, videlicet *Anevrysma arteriae dilatatae.* — Lentam, atque occultam phlogosin vasis omnem anevrysmatis casum praecedere, et ad ejus originem haud parum contribuere (nisi a violenta causa proficiscatur) plures nobis suadent rationes; eam vero anevrysmatis decursum comitari, extra dubitationis aleam positum est.

Inter cunctos vasorum canales *aortam descendentem* tam angiostheniae, et angiectasiae, quam vero anevrysmati inprimis obnoxiam fuisse, probatum habuimus; etenim inter decem casus, hoc anno observatos et curatos, unus *cardievrysmatis*, alter *anevrysmatis aortae thoracicae* fuit, reliqua octo exemplaria ad

aortam descendentem, et in specie ad *ventralem* referebantur.

E singulis hujus, et successivorum annorum observationibus in unum conlectis, sequentem desumere potuimus *aortevrysmatis abdominalis* hypotyposin, quam practicis medicis vel ideo acceptam fore speramus, quod experientiae intemeratae consectarium sit, et quod diagnosis in malo adeo ambiguo, ac saepe saepius clandestine irrepente haud levibus prematur difficultatibus. Simplicem observatorem agentes illa tantum adnotavimus, quae vidimus, monographicis scriptoribus relinquendo congestionem alienarum experientiarum.

Pathognomonicum symptoma praebet pulsatio fortis, et aequabilis (sphygme) in regione epigastrica; creberrima enim anevrysmatis sedes est eo loci, ubi aorta e diaphragmatis foramine vix egressa coeliacam arteriam dimittit. Hicce jam aortae in superstratas partes arietantis motus non solum ab aegro, et medici manu admota percipitur, sed etiam visu distingui potest. Quandoque pulsatio illa fere superficialis adparet, ita ut medicus arteriam coeliacam potius, quam aortam suspicaretur; cujus phaenomeni ratio inde pendet, quod saccus anevrysmaticus, stomacho deorsum, vel ad sinistrum latus presso, prelum abdominale immediate pertingat, uti cadaverum sectiones nos edocuerunt. In mali exordio motus sphygmicus ad umbilicum, vel hypogastrium usque protenditur, ac certum de mali centro judicium non permittit. Quo magis volumine crescit cystis anevrysmatica, eo magis circumscribitur pulsus ad regionem epigastricam (quod frequentissimum), vel ad illam qualemcunque, quae delitescenti subtus labi correspondet. Molesta, quam aegri inde experiuntur, sensatio, maxime intenditur post pastum, et corpore supine cubante. Cordis motus eadem proportione elanguescit, qua intenditur ille

aortae dilatatae, ideoque in summo mali fastigio subinde adeo obscure micat, ut vix manu admota discerni possit. Pulsus arteriarum radialium ab initio aequales, atque isochroni cum illis cordis et aortae dilatatae cernuntur, increbescente vero mole anevrysmatis irregulares, et intermittentes evadunt, quin tamen et hoc phaenomenon semper constans sit. Caeterum nil offerunt singularis, talique pacto essentialiter discrepant a pulsibus fortibus et vibrantibus, quos in cardievrysmate observare licet. Rarioribus in casibus aortae abdominalis anevrysmata adeo occulte delitescunt, ut oculatissimi medici adtentionem effugiant, nullis vita durante signis se prodant, et nonnisi post mortem in rimato cadavere pateant. Exemplum obtulit celeberrimus Matheseos Professor Vincentius Brunacci, anonymo defunctus morbo, quem necroscopia, anevrysma aortae ventralis cum carie vertebrarum fuisse, non sine summo adstantium medicorum stupore docuit.

Reliquam symptomatum catervam constituunt: lumbago fixa, ardens, obtusa, raro punctoria, noctu, et cubante aegro ingravescens, interdiu et corpore erecto mitior; cardialgia, aut colica per vices recurrens; pyrosis; ructus sonori; flatulentia; singultus; vomitus, maxime post cibum adsumtum; dyspepsia; somnus inquietus, terriculamentis abruptus. Sunt autem inprimis molestae illae pulsationes in praecordiis, aut ventre, quae vel somnum prorsus arcent, vel aegros e terrificis insomniis expergefaciunt. Maxime dum dorso incumbunt aegri, ob sensum abdominis subsilientis, ac si maleus in penetralibus continuo ageretur, obdormire nequeunt, vel vix obsopiti involuntarie positum corporis permutant, huc illuc sese jactantes. Coenaesthesis vario modo laesa, varias provocat sensationes, unde aegrorum querimoniae de flamma, aut pruna interaneas partes perurente, de formicatione, de sensu

aquae calidae guttatim labentis, de constrictionis, angustiae, aut ponderis abdomini incumbentis sensu. A minima corporis intentione, vel inclinatione, motu, pastu, pathemate, et inprimis a terrore, quem minima provocare consuescit ansa (panophobia), molestissimae per totum systema vasorum, et prae caeteris in loco anevrysmatis proritantur pulsationes, angore, dyspnoea, scotodinia, vel etiam syncope comitatae. A suspiriis levamen transitorium, et pauci momenti. Erethismus somaticus, et psychicus mirum in modum intenditur, unde pervigilium, proclivitas in animi commotiones, morositas, timiditas, motus spastici, quae omnia, in connubio cum hallucinationibus mox adlatis coenaesthesis, illius holonevroseos exhibent imaginem, quae in viris hypochondriasis, hysteriasis in feminis audit. Color cutis squalidus, qualem folia caduca praebent, omnisque fere turgoris vitalis absentia adprime correspondent sanguinis penuriae in ambitu corporis, coacervationi in centro. Catamenia silent, vel parce, et sine regula fluunt. Omittimus phaenomena infida et accidentalia, ne obscuram reddamus diagnosin, quam illustrare nobis proposuimus.

Rari solent esse casus, in quibus anevrysmata aortae provectiora contiguorum ossium compagem illibatam relinquunt. Pro diversa vitii anevrysmatici extensione mox una corroditur vertebra, mox duae, aut tres. Id vero constanter accidit, quod ligamenta intervertebralia processui exulcerationis saniosae reluctantur. Si una, alterave vertebra notabilem diploës jacturam sit experta, columna dorsalis postrorsum incurvatur, illaque nascitur species *cyphosis*, quam *spontaneam* vocant. Sub tali rerum extremo statu vel febris hectica et atrophia purulenta, vel paralytica membrorum resolutio tragicam scenam claudit. — Quod vero cariei ortum adtinet, illum certe nonnisi ex lenta

phlogosi, quae saccum anevrysmaticum continuo tenet, ad periosteum propagata, nec non e contemporanea pressione vasorum nutriciorum explicare possemus.

Decursus aortevrysmatis determinatis nunquam circumscribitur limitibus; nunc enim rapido gressu crescit saccus, celeriterque partes conterminas depascitur, nunc ejus incrementum tenacibus pseudomembranis et coagulis lymphaticis, quae internam investiunt superficiem cavi, coërcetur, vita per multos annos protrahenda.

Ratio *mortis* frequentissima est *ruptura cystidis, et effusio cruoris* in cavum abdominis, vel in textum cellulosum extra saccum peritonaei; *haematocoelia, et mors syncopalis.* Vide historiam tertiam in necrologio epicritico. Alii obeunt in gratiam deuteropathiarum, quae inter communiores sunt: phthisis osteophthorica, hydrocoelia, et hydrothorax.

Quousque vitium anevrysmaticum in primordiis versatur, difficulter a simplici angiosthenia, vel angiectasia distingui potest; ideoque curam similium aegrorum semper cum aliqua spe et fiducia secundi eventus suscepimus. Remedia autem non discrepant, quibus in propitio angiostheniae casu pristinam salutem restituimus, in sinistro contra anevrysmatis lenimentum obtinemus. Princeps *indicationum* scopus nobis ille fuit, ut aequilibrium inter expansivam sanguinis efficientiam, et contractivam vasorum componatur, in parietibus arteriarum status cohaesionis intendatur, talique ratione futura dilatatio avertatur, praesentis autem ulteriores progressus coërceantur. Medendi methodum, quae soli dualisticae virium vitalium deflexioni innititur, ut insufficientem et noxiam damnavimus; a venaesectionibus enim non minus, quam a stimulantibus malum constanter exacerbari vidimus. Nec difficulter concipienda ratio. Si cruor generosa

manu, et repetitis vicibus educitur, in systemate vasorum necessario tumultuarius concitari debet motus, ut capacitas alveorum imminutae laticis moli adcommodetur; qualiscunque autem perturbatio aequabilis circuitus majorem versus loca minus resistentia determinat impetum. Insuper in aegris anevrysmate laborantibus (nisi accidentalem diatheseos phlogisticae universalis complicationem excipias), vera plethora, sive polyhaemia non adest; immo processus haematopoëticus, maxime in morbo provectiori, potius infractus adparet. Hinc quo plus de sanguine (nullatenus superfluo) educis, eo majorem inopiam creabis in vasis minimis, copiam vero et congestionem in majoribus ne hilum imminues; namque in cystidem anevrysmaticam semper eadem impelletur quantitas, quae ad illam perfecte replendam requiritur. Notum tandem est ex theoria et praxi, quod sanguine, ceu incitamento vitali summae dignitatis, liberalius detracto, reale virium robur infringatur, receptivitas contra augeatur; unde fit, quod residuus cruor pro parietibus vasorum, majorem sensibilitatis gradum adeptis, jam magis differens evadit stimulus, ideoque vividiores concitat reactiones. Non abhorremus equidem a venaesectionibus, ubi orgasmus sanguinis impetuosior, vel manifesta verae plethorae indicia depletionem absolute deposcunt, eas tamen semper ut mere palliativum remedium consideramus, ac summa cum praecautione institui curamus, ne sub ipsa emissione animi deliquium accidat. Hanc ob rationem plus, quam sex, octove uncias cruoris non extrahimus, cursum sanguinis aliquoties intercipimus, nec phlebotomiam repetimus, nisi aliquot diebus elapsis, sive demum angiosthenia simplex, sive anevrysma fuerit. Inconcussis experientiis compertum habuimus, rapiditatem circuli, et celeritatem motus organici, quam proh dolor! multi

medici cum vero robore vitali in aegrorum detrimentum confundunt, eadem fere proportione increvisse, qua sanguis inconsulto fuit extractus.

Ut aequipondium inter factores vitales systematis vasorum restitueremus, sequenti modo processimus. Sanguinem potibus refrigerantibus, acidulis, emulsis nitratis, Tamarindis, Cremore tartari, etc. temperare, erethismum systematis vasorum narcoticis, atque deprimentibus, quae specificam super ea exerunt actionem, Digitali utpote, vel praeparatis Saturninis compescere studuimus. Pari tempore cohaesioni tunicarum majus robur addere volentes, epithemata gelida super locum adfectum, atque internum usum oxydorum metallicorum, quae stiptica vi pollent, Zinci, Bismuthi, Ferri et Plumbi, reliquis anteposuimus pharmacis, solerter cavendo ab omnibus illis noxis, quae sanguinis tumultuarium motum concitare valuissent. Digitalem purpuream lubentissime dedimus forma infusi e drachma una parati, interponendo sorbitiones acidas cum elixirio Halleri, quae non solum ardoris sensum, sitim, et orgasmum placarunt, verum etiam effecerunt, ut Digitalis diutius propinari potuisset, quin effectus narcoseos essent subsecuti. His autem obortis actutum destitimus ab ulteriori usurpatione, secunda iterum vice tentamen replicantes, si emolumentum quoddam pharmaci virtutem confirmaverit.

In casu *anevrysmatis aortae thoracicae*, comite *cyphosi secundaria*, quod puella 11 annorum e lapsu super dorsum contraxit, *saccharum Saturni* periclitari voluimus, effeetu vota nostra vix non superante. Mali gravissimi, orthopnoicis insultibus terrentis adeo evidens levamen obtinuimus, ut aegra quam die 5. Februarii suscepimus, post 24 dies domum redire potuerit. Plus ars non valuit; neque sanationem perfectam, nisi insani, sperare potuissemus. Dosibus pedetentim auctis

ad grana quatuor, intra nycthemerum absumenda, adscendimus, quin praeter levem nauseam, gastrodyniam gravativam, et alvi segnitiem, aliud quereret incommodum puella. Exacto octiduo abstinuimus a potenti pharmaco, ejus usum tamen secunda vice suscepturi, postquam stomachi molestiae decoctis mucilaginosis et emulsionibus nitratis penitus fuerunt fugatae. Alvum morosam clysteribus oleosis sollicitavimus. Epithemata gelida super pulsantem thoracis plagam aegrae adeo accepta erant, ut eorum continuationem enixe peteret, quotiescunque intermitterentur.

Longius fortasse, quam initio propositum erat, a tramite digressi, quo argumenti dignitas nos pellexit, redeamus modo ad reliquos casus sporadicos hoc mense observatos, epicriticas eis subjuncturi animadversiones.

Puella ex urbano brephotropheo, 9 annos nata, scrofulosa, a duobus mensibus singularem illam patiebatur visus imbecillitatem, qua lucente Sole diurno quaevis objecta rite distinguebat, appropinquante vero vespera veluti in densissimis tenebris palpare cogebatur; *hemeralopia.* Praeter intumescentiam glandularum lymphaticarum juxta latera mandibulae inferioris, abdomen quoque deprehendebamus inflatum, inaequale, durum, circa umbilicum tuberosum, oppilatum; anorexiam; linguam mucosam; os saliva plenum; pupillam dilatatam, nigerrimam, et nonnisi sub vividiori luce oscillantem; visum interdiu illibatum, vesperi autem, veluti ab adventante fumo, hebetem, ut neque ad lucem candelae objecta, nisi obscurissime, distinguere potuisset. — Emetico bis repetito, decoctis solventibus amaris, potu acidulo, et lotionibus frigidis oculorum, morbum protinus dissipavimus, aegramque post duas hebdomadas in Clinico transactas brephotropheo denuo commisimus, ut ibidem inveterata scrofula curetur.

innixi, vitiatam viscerum abdominalium conditionem saepe saepius *caecitatem crepuscularem*, immo et veram amaurosin produxisse. Ne tamen causis communiter adsignatis majorem, quam merentur, valorem tribueremus, scrupulosa indagine circumstantiarum praegressarum casum nostrum inprimis ab omni alius prophaseos suspicione depurare voluimus. Innotuit revera, aegram tota hyeme carbonum vaporibus expositam fuisse, manantibus e foculo, cui adsidebat interdiu, hyberni algoris molestias permulcendi gratia. Inde jam clarior nobis videbatur hemeralopiae origo; quanta enim sit substantiarum narcoticarum, sive interne sumantur, sive forinsecus oculum adtingant, in visu hebetando efficacia, complurimis evictum est observationibus. Substratum mali potius in systemate ciliari, quam in nervo optico et retina quaerendum nobis videbatur. Causam proximam in congestione passiva sanguinis venosi in vasis choroideae et iridis reposuimus; hac enim statuta non solum genesis hemeralopiae, e duplici fonte, vapore utpote carbonico, et stasibus abdominalibus, sed etiam singulare phaenomenon visus interdiu illibati, et vesperi hebescentis quodammodo illustrari potuit. Arbitrabamur nimirum congestionem venosam in vasis vorticosis choroideae ea proportione augeri, qua lucis diurnae imminuebatur influxus et potentia, talique pacto quosdam nervorum ciliarium ramulos, ipsamque nefors retinam comprimi, suoque munere pro tempore privari, iterum tamen redituro, ubi oriente Phoebo novus oculo suppeditatur stimulus, ac novum veluti pabulum. — Varias esse atmosphaerae conditiones, uti mephites cloacarum, fimetorum, calcis, aërem marinum, nebulas densas, quae hemeralopiam progignere valent, partim propriis, partim aliorum medicorum experien-

tiis compertum habemus, unde idea, gas acidum carbonicum in nostro casu principem culpam habuisse, tanto majorem acquirit probabilitatis gradum. Excubitores nocturni, referente LOMBARDO, in Argentorati urbe, pluresque milites exercitus Gallorum in Sabaudiae vallibus, quas densissimae contristabant nebulae, adpetente hespero gallinarum more coecutientes quandoque subito iter, aliave munia intermittere debuerant. Adfectum huncce maxime tempore vernali oriri, DUPONT testatur, ideoque aliquam cum oryza analogiam supponit. Tandem et climatis conditiones quasdam prae aliis hemeralopiae ortui favere, vel inde liquet, quod in nonnullis regionibus inauditus, in aliis, etsi non admodum frequens, saltem non rarus esse solet morbus. In Polonia plures vidi hemeralopes, praesertim fabros murarios, foricarios, et captivos Leopolis, qui pro publicarum platearum et angiportuum expurgatione destinabantur, collectasque sordes extra urbis moenia conducebant. Erat autem inter eos maxime obnoxius ille tertius, qui a tergo propellebat currum birotum, coeno, nivibus, aliisque sordidis et graveolentibus quisquiliis plenum, idcirco mephiticis effluviis plurimum expositus. Alii medici in insulis Moluccis, et in Brasilia, DUPONT in navibus Oceanum Americae mediae, et oras Africae pervagantibus caecitatem crepuscularem observarunt. —

Hisce omnibus in unum collectis verisimilior nobis videtur sententia, hemeralopiam multo crebrius ex mmediato influxu exhalationum mephiticarum super oculum (quarum infamiam in producenda caecitate jam oculatissimus RAMAZZINI notavit), quam e saburris et obstructionibus viscerum abdominalium sympathica ratione oriri; secus enim morbus in praxi longe frequentior esse deberet. Neque concipi posset ortus morbi periodici e causa perennanti; quapropter labes abdo-

minales potius ceu momentum disponens essent considerandae. Efficacia emeticorum nostrae opinioni non solum non reluctatur, sed immo eam corroborare juvat; quanta enim violentioris sub vomitu commotionis, in discutiendis stasibus cujusvis generis, sit potestas, neminem practicorum latet. In nostro insuper casu remotionem aegrae a noxio influxu, usum diligentem potionum acidarum, et lotiones frigidas oculi ad promptam sanationem plurimum contulisse, ecquis non concedet? Disparuit saltem hemeralopia, quia obstructiones mesenterii, et quae eas comitabantur, saburrae pituitosae, fuerint sublatae.

Minus nobis arrisit fortuna in casu *iritidis syphiliticae*; quidquid enim ars suppetere valet, incassum periclitati sumus. Veneris vulvivagae blandimenta venefica in musico, 33 annorum ante biennium medorrhoeam malignam et bubones progenuerunt, quibus neglectis tophi ossium calvariae, et funestissima ophthalmia oculi sinistri successere. Haec ultima visum penitus sustulit, perfectam relinquendo pupillae atresiam; salute interim ad speciem restituta. Ast dolose sub cineribus gliscens favilla tribus abhinc mensibus denuo prorupit, oculum dextrum eadem cum ferocia, qua laevum devastavit, adgressa. Debitis auxiliis in usum vocatis auscultasse videbatur lues, nil enim praeter quandam visus hebetudinem remansit. Die vero 16. Februarii inauspicato recruduit, vix non majori, quam antea nequitie in eandem desaeviens partem. Dolor rodens ad arcum superiorem orbitae dextrae, versus bregma ejusdem lateris porrectus, noctu intolerabilis, interdiu tantisper mitescens; tophi in syncipite; palpebrae tumidulae; oculi conjunctiva rubro-lividi coloris; iris e rubro fusca; pupula coarctata, immobilis, membranula arachnoidea griseo-candicante obvelata; aliquot guttulae sanguinis in anticam cameram effusae;

lucis impatientia; visio eum in modum laesa, ut neque objecta minuta, neque colorum varietates, albo et nigro exceptis, distinguere potuisset; languor virium universalis; adiaphoria moesta; caeterum nil abnormis; — en imago morbi, quam aeger, die 26. Februarii in Scholam medico-practicam susceptus, obtulit. Cura mercurialis efficacissima, interno usu Calomelanos, et frictionibus cum unguento Neapolitano juxta ambitum orbitae perfecta, atque intermixtae Opii doses generosiores dolorum saevitiem brevi complacarunt, ipsamque luem celticam eradicarunt; at secundarios effectus, quos hypoclepsis lymphatico-plastica in posteriori oculi camera produxit, dissipare non valuerunt. Postquam omnis irritationis umbra dissipata fuit, acu in corneam immissa occultantem pseudomembranam divellere, et synechiam posteriorem superare frustra tentavi. Ultimum tandem amplexus consilium, iridis marginem exteriorem a suis solvere vinculis, novamque fenestram, qua radii luciferi penetralia oculi subire possint, parare decrevi. Scopo *Iridodialysin* perficiendi acum curvam in anticam impuli cameram sed maximas in separanda iride flaccidissima, et propemodum emortua difficultates inveni, tristem inde concipiens exitus spem. Et profecto, licet pupula artefacta non coaluerit, desideratam lucem immittere vetabant profunda et insuperabilia repagula.

Apostema faucium, inter posticum pharyngis parietem et vertebras cervicales clandestine evolutum, paucorum dierum intervallo eam in molem excrevit, ut omne fere expleverit cavum faucium, omnique momento suffocationem minaretur. Collo externo adtentius examinato patuit intumescentia molliuscula et obscure fluctuans inter musculos scalenos lateris sinistri, quam sine mora lapide caustico aduri jussimus, nullam aliam opem aegro superfuturam existimantes; nam

in frumine nec remotum dehiscentis phymatis indicium, proinde nulla prorsus incisionis amussis habebatur. Ingenti copia puris noctu per erosam plagam profusa, instantaneum sequebatur levamen, vitae imminens periculum extemplo disparuit, atque paucas post hebdomadas, foro artificiali prorsus consolidato; et faucium via permeabili reddita, pristinam aeger adeptus est salutem, Libitinae spernens minas.

Martius. 1818.

	Thermometri	Barometri	Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 11. 2.	poll. 28. 2. 3.	grad. 92.
Altitudo minima	» + 0. 1.	» 27. 5. 4.	» 52.
Altitudo media	» + 5. 72.	» 27. 10. 8.	» 72. 44.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	7. 7. (a die 8 ad 9)	0. 3. 14. (die 27)	28. (die 26)

Venti dominantes: *Eurus* et *Zephyrus*, crebro nimbosi. Adsiduae mutationes, repentinae, et eadem saepe die iterato evenientes, caloris frigorisque, siccitatis et pluviarum, coeli sereni et nubili. Venti asperi, Boreas, Circius, et Caecias, alternatim spirantes, praecoces veris teporis represserunt, contrariam potius hornae tempestatis sortem minitando. Australes flatus rarissimi. Die 22. tempestas cum tonitru et grandine. Procellam diei 25. profusi imbres solverunt. In alpibus vicinis multa nix. Mitescentibus sub finem ventis, serenitas rediit.

MORBI EPIDEMICI.

Insignis multitudo aegrotantium in urbe, et ruri. Nosocomii aulae omnes refertissimae. Extremum diem adtingunt varia mala chronica, a prioribus mensibus residua, maxime phthises et hydropes. Cives complures

pulla veste induti, qui adfines lugent, improviso fato e vivis ereptos, visuntur per urbem. Praeter varias apoplexias, erat quoque casus cordis sub irae accessu rupti. Occurrebant plura specimina angiostheniae, et anevrysmatum, exacto mense jam memorata.

Constitutio inflammatoria hyemis, citra morem porrecta, notabiliter defetiscitur. Inde *peripneumoniae* frequentes quidem, sed leviores, minus periculosae, paucis phlebotomiis superandae, in pertinaces potius blennorrhoeas pronae. Duae *enteritides*, non graves, solis decoctis mucilaginosis, emulsionibus oleosis, fomentis et clysteribus emollientibus brevi fugatae; una earum in puero herniotomiam ante annos feliciter perpesso.

Quod specialem adtinet inflammationum topicarum indolem et formam, eminuit *catarrhosa. Anginae, gravedines, tusses, et ophthalmiae* praecipuam efformabant morborum popularium phalangem. Ipsae *pneumonitides* obviae non erant aliae, nisi catarrhales. *Rheumatum* contra raritas talis, ut nec unicum in nostra Schola obvenerit exemplar; in Nosocomio paucissima.

Inclementiam tempestatis, et vicissitudines atmosphaerae praecipuum sistere et catarrhorum, et rheumatum fontem, tritissima est observatio, ipsis profanis non ignota. *Cur autem modo catarrhi, modo rheumatismi dominatum teneant*, extra dubitationis aleam nondum positum est. Multifariis ac repetitis observationibus innixi, causam verisimiliorem hujus discrepantiae supponimus in vario statu electricitatis et humiditatis atmosphaericae, qui vicissitudines temperiei et perfrigerationem una comitatur, opinantes, quod aura frigida, sicca, impura, et negative electrica aestuanti corpori admissa *labem catarrhalem*; aura frigida, humida, pura, et positive electrica ex adverso *rheumaticam* progignit. Pro catarrho sufficit momentaneus adflatus, pro rheumate diuturnior ψυξις requiritur. Ca-

tarrhosa passio stricto in sensu non oritur ex refrigeratione indiscriminatim considerata, sed *ex vicissitudine rapida;* sive enim aliquis ex hypocausto egrediatur foras et frigoris experiatur injuriam, sive foris perfrixerit, nimisque calidum subeat conclave, pari ratione catarrhosam labem contrahere poterit. Ad rheumatis genesin ex adverso semper desideratur aura frigida. Peculiares tandem dispositiones ex parte individui concurrere debere, sponte liquet; eas vero per eminentiam in vario statu systematis dermatici supponere fas est. Superficiem cutis aliter in febribus catarrhosis, atque aliter in rheumaticis se habere, docet ejus ariditas in prioribus, transpiratio et ephidrosis ubera in posterioribus. Hae duae conditiones superficiei cutaneae, sibi e diametro oppositae, eandem offerunt differentiam, quae inter corpora idiolectrica et symperielectrica viget. In morbis catarrhosis emanatio per corporis peripheriam est infracta; elementa imponderabilia et phlogistica in penetralibus coacervantur, unde calor mordax, reactiones virium obrutae, vel facile obruendae, nisus in characterem nervosum, ad liquationem, ad evolutionem fomitum contagiosorum. In adfectionibus rheumaticis contra polaritas cutis est inversa, continua obtinet caloris et vaporis animalis emanatio; inde aestus internus aegro minus molestus, externus manui tangenti minus ingratus, reactionum vitalium et functionum systematis nervosi major libertas, nullus nisus in liquationem, aut contagiorum genesin. Ipsa qualitas materiae perspirabilis notabiliter variat; in catarrhosis enim pyrexiis odorem exhibet gravem, hircinum, veluti empyreumaticum, in rheumaticis mitiorem, acescentem, unde in his ad praedominans oxygenes, in illis ad phlogogenes concludere fas est. Tandem catarrhus occupat superficies externas, membranas utpote mucosas, quae omnes immediatam cum

mundo externo communicationem habent; rheuma circumscribitur ad superficies internas, membranas serosofibrosas. — Ergo manifestissima inter diathesin catarrhosam et rheumaticam viget antithesis, licet quibusdam respectibus congeneres dici possint. Ea propter etiam ratio suadet, intuitu geneseos aliquam subesse debere diversitatem, quamvis causa procatarctica, vicissitudo temperiei, ad speciem eadem esse videatur. Haec autem diversitas, obiter tantum indicata, nonnisi progressu temporis ex intemeratis observationibns erui, atque e reciprocis relationibus determinatarum sphaerarum organismi vivi inter se, et cum definitis potentiis externis illustrari poterit. Decurrente saltem mense catarrhorum frequentiam, et rheumatum raritatem atmosphaerae minus uvescenti, ventis asperis, atque electricitati crebro negativae, in gratiam nubium procellosarum, adprime correspondere vidimus.

Febres intermittentes adhuc paucissimae erant, eaeque versus finem mensis. Sua tamen jura defendebat aequinoctium; cunctae enim febres continuae, et speciatim catarrhosae adeo solemnes exhibebant exacerbationes et remissiones, ut ferme dialeipyras simularent. Tales autem non fuisse, partim e decursu non interrupto, partim ex auctu vespertino decrevimus. Febres intermittentes quotidianae, etsi subcontinuae sint, paroxysmis invadunt matutinis, et hoc respectu jam essentialiter discrepant a continuis remittentibus, salvo semper anomaliarum casu.

Quemadmodum adpetente vere in cunctis entibus organicis nisus formativus potentius exsurgit, atque rediviva per totum hemisphaerium telluris vernantis efficientia expansiva motum organicum alacrius e latebris centralibus versus peripheriam determinat et allicit; — ita etiam in microcosmo humano aliquid analogi accidit. Systema cutaneum partim ab interna

evolutione, partim a stimulo Solis ad vividiores concitatur reactiones, ac idcirco ad subeundas metamorphoses morbosas multo magis proclive evadit. En quandam rationem majoris frequentiae morborum exanthematicorum, quos fideles vernae tempestatis commilitones esse, neminem medicorum latet. Re quidem vera plura apud nos occurrebant *erysipelata*; hinc inde *peticulae* et *scarlatinae*.

Erysipelata hujus anni temporis differunt ab aestivis, quod constanter a refrigerio ortum ducant, ideoque *idiopathicam* constituant labem. Et si sub decursu quaedam notula saburralis adparet, haec e consensu dermatis cum tunicis mucosis primarum viarum nascitur, modo mere secundario. Exemplaria nobis visa *vultum* prae aliis partibus conflictabant; raro quidem totum illico in principio, sed successivo reptatu omnes plagas faciei, auriculas, et capillitium pervadebant, in cervice evanescentia. Rarius formam glabram tenebant; plerumque phlyctaenosam, aut bullosam. Vix unquam talem offerebant saevitiem, quae intimas vitae radiculas evertere conaretur, dummodo ab omni complicatione et anomalia immunis manserit morbus. Iuvenem erysipelate faciei adfectum e medio nobis abstulit meningitis metastica, ob pravam individui constitutionem; historia morbi suo loco indicabitur.

Peticulis passim obvenientibus eum, quem merentur, valorem dedimus. Nostra sententia semper accidentale in febribus symptoma constituunt, excepta febre putrida. Nullum unquam adferunt periculum, nullamque molestiam pariunt; in quibusdam casibus tantum periculi augures dici possunt, quatenus lubenter septicae colliquationis soboles et comites esse consuescunt. Occurrebant non solum in typho contagioso, cujus fomes, ab anno praeterito residuus, nondum videbatur extinctus, sed etiam in summe benignis et

insontibus pyrexiis catarrhalibus. In casibus typhi contagiosi adtentionem tyronum ad differentem exanthematis illum comitantis formam direximus, ut distinguere discant *petecchias*, ceu maculas ecchymoticas, absque ordine prorumpentes, nunc absentes, nunc ad seram convalescentiam usque superstites, dum evanescunt, nullum sui vestigium relinquentes, ideoque mere accidentales et parasiticas; et *specificum erythema exanthematicum*, seu *purpuram typhosam*, quae semper processum phlogisticum in cute agnoscit, cujus gratia epidermis desquamatur. — Obsoletum ac mendosum nomen febris petecchialis inter medicos urbanos nondum exterminatum, illud vero typhi contagiosi, seu exanthematici fere ignotum fuisse, obstupuimus. Valentium virorum oracula in hasce sedes nondum penetrarunt; quare nostra erat cura, ut in tenebris facem accendamus. Novae de hoc febrium genere doctrinae semina primi sevimus; ast cunctabatur prosperare seges, cui inveteratarum opinionum sese immiscuit infelix lolium, progressu temporis tandem potenti veritatis luce exterminaturum.

Scarlatinae formam raram, et ni fallimur, a nullo medicorum depictam, obtulit rustica, 32 annos nata, ab unguiculis semper pancratice valens, et prospero habitu praedita, quae morbum e seminio inter accolas pagi *Mirabello* vastissime debacchante contraxit. Die 9. Martii ex improviso inhorruit, incaluit posthac, capite doluit, et noctu sudavit. Postridie ardor, dolor, et sensus constrictionis in gutture deglutiendi munus adeo impedivere, ut neque liquores sine summa molestia depellere potuisset; ursit simul febris ardens, et pectoris oppressio. Die 11. intumuit facies, atque totus ambitus cutis laeto tingebatur rubore, intermixtis phlyctaenis albicantibus. Sumsit Cremorem tartari, et decoctionem Hordei cum Oxymelle, morbo ne hilum

mitescente. Quare, funestam continuo prae oculis habens sortem trium amicarum, paucos ante dies ab eadem indomita lue enecatarum, Nosocomium petere statuit. Die 14. nostrae curae commissa gravem omni intuitu exhibuit statum: cephalaeam diram; oculos suffusos, turbidos, lacrymantes, lippos; linguam praerubram, tumidam, dolentem, crusta mucosa coopertam; fauces valde tumidas, punicei coloris; parietes internos buccarum et labiorum pariter rubicundos, hinc inde excoriatos, et aphthis conspersos; respirationem tantisper citatam, cum sensu oppressionis in sterno; dolores in cunctis fere juncturis, liberum motum praepedientes; totam corporis superficiem ruberrimam vesiculis copiosissimis obsitam, quarum plures invicem confluentes amplas formarunt bullas, nuce avellana majores; transpirationem insensibilem graveolentem; urinas jumentarias; alvum reseratam; calorem urentem; pulsus veloces, moderate fortes, molles. Porrigitur decoctum Althaeae cum Roob Sambuci pro medicamento, infusum florum Verbasci cum Oxymelle pro potu, et lac dilutum pro colutorio. — Die 15. aphthae et excoriationes in ore et faucibus magis diffusae; aphonia; ardor molestus in vesiculis super cutem, quarum nonnullae ruptae jam erant, et in plagas lardaceas conversae, quae liquorem serosum acrem profundebant in crustas non coëuntem, odoris illius, quem caseus fracescens, dum a procul nares ferit, spirare solet. — Die 16. quae erat 7. morbi, praevia exacerbatione vespertina intensa, sudores secedunt uberrimi et graveolentes, lotio album et copiosum sedimentum deponente. — Die 17. luculentissimum levamen, effectus solemnis criseos hesternae. — Usque ad 31. ejusdem mensis Martii omnia auspicato procedunt; frangitur febris, considet inflammatio membranae oris et faucium, deglutitio sine difficultate per-

ficitur, consolidantur aphthae et plagae cutis a ruptis bullis relictae, per totum ambitum magna secedunt emortuae epidermidis fragmenta, redeunt cupidines et vires, aegra convalescentiam tangit. — Die 1. Aprilis autem incauta stomachum nimiis gravat ferculis; jam ad vesperas febrit, capite dolet, angitur, cuncta fastidit. Propinatur infusum radicis Rhei cum arcano duplicato, quo alvus aliquoties noctu cum emolumento cietur. Die 2. mane remissio; vesperi auctus febris cum inquietudine summa, siti inexplebili, meteorismo. Repetitur mixtura cathartica. Die 5. subdelirium, tinnitus aurium, lingua munda sed sicca, languor virium muscularium summus, calor mordax, alvus quinquies mota, pulsus citati, pleni, tantillum suppressi. Mixtura rhabarbarina majoribus intervallis exhibetur, interponendo usum infusi Chamomillae, atque duo vesicantia suris adplicantur. Die 7. jam nullum amplius erat dubium *characteris nervosi febrem saburralem prementis*, quam diadochen funestam et rapidam debilitati a gravi morbo relictae, et cutis muneri nondum adamussim restituto tribuimus. Camphora nervis blandiri, vesicantibus centra systematis nervosi pessumdata liberare, infuso Menthae et radicis Columbo labefactatas ventriculi vires vigorare, simulque urgentem diarrhoeam reprimere conabamur. Votis respondente cura, aegram veluti ex Orci faucibus ereptam die 24. Aprilis dimisimus.

E praesenti casu *scarlatinae pemphigodis in febrem gastrico-nervosam conversae* sequentia didicimus: — 1 Formam scarlatinae nec semper glabram esse, nec illam, a Petro Frankio notatam, modificationem scarlatinae miliformis, unicam sistere anomaliam, sed etiam bullis majoribus interdum intermisceri posse. 2. Phlogosin scarlatinosam non solum ad cutem et fauces, sed super totum ambitum membranarum mucosarum

extendi; unde vastissimum ejus elucet territorium. 3. In experientia fundari omnes illas animadversiones, quas clarissimus *Heim* de specifico odore scarlatinae protulit; etenim in nostra aegra non solum materies perspirabilis, sed etiam ille latex seroso-ichorosus, quem plagae deglubatae et epidermide privae secernebant, redoluit. 4. Arthritidem scarlatinae gravis satellitem non infrequentem esse. 5. Indigestiones, etsi leves, in convalescentibus acutum morbum vix perpessis maximo terrere periculo. — Ultimam hancee veritatem non solum in praxi privata, sed etiam nosocomiali, et maxime in Nosocomio militari, Vindobonae Anno 1814. a me directo, confirmatam crebro habui. Robusti atque lacertosi milites, gravissimos typhos fortunate exantlati, ac laetam convalescentiae viam prementes, post inconsultam ingurgitationem intra nycthemerum, veluti de coelo tacti obiverunt, indomabilis voracitatis victimae. Apoplexiam nervosam mortis rationem fuisse, extispicia docuerunt; nullum enim invenire potui vitium, cui improvisum adscribere lethum.

MORBI SPORADICI.

Quid valeat ars medica, rectis conducta principiis, ac medentis perseverantia, nos condocefecit casus perfectae *aphoniae*, jam a pluribus hebdomadis persistentis, quae virginem, hymenaeis laetitiis proximam, summo adflixit moerore. Ansam dedit catarrhus laryngeus, levitatis fuco seducens, et neglectus. De aliqua irritatione in organo vocis adhuc superstite convicti, curam a remediis mucilaginosis, cataplasmatibus et vaporibus emollientibus, ope machinae Mudgeanae adtractis, exorsi sumus. Postquam aegra nullam amplius in gutture molestiam persensit, omnisque tussiendi stimulus evanuit, interne pulveres Plumeri dedimus, externe

frictiones mercuriales institui curavimus, ea quidem indicatione ducti, ut plasticum resolveremus laticem, quem a praegresso processu inflammatorio morbose secretum, atque chordis vocalibus adhaerentem, vel inhaerentem supposuimus, analogo anginae membranaeeae casu moniti. Iam post paucos dies ab inchoata cura mercuriali aegra inter loquendum voculám quandam, veluti pipientis pulli gallinacei protrusit, ineffabili perfusa gaudio. Subsequentibus diebus, majorem constantiam adepta voce, licet adhuc debili, atque submissa, Hydrargyri dosin auximus, ita ut tria grana Calomelanos intra nycthemerum consumeret cum dupla Sulfuris aurati antimonii quantitate. Subintrantibus primis ptyalismi indiciis, destitimus ab omni pharmaco, quod Mercurium redoleret, cum mucilaginosis et emollientibus continuando, quibus adhuc pulvisculos paregoricos ante cubitum sumendos addidimus. Sub ejusmodi medendi ratione, per duos menses patienter adhibita, pristinus rediit vocis clangor.

Conditionem pathologicam eandem in eodem organo sub diversissimis ac saepe e diametro oppositis morborum formis occurrere phaenomenon est adeo quotidianum, adeoque notum peritis et profanis, ut nullum magis. Evidentissimum inter tot alia exemplum praebet status *symphoreseos activae*, sive *irritationis subinflammatoriae*. Epilepsias, apoplexias, deliria, paralyses, amauroses, cephalalgias, choreas, aliaque innumera mala nervosa videmus in praxi, quorum proximam causam indagaturis saepe nulla alia innotescit praeter congestionem encephalicam, e causis praegressis et symptomatibus haud difficulter eruendam. Id confirmat ipsa therapia; tot enim epilepsias, apoplexias, deliria, etc. venaesectionibus, sanguisugis, remediis catharticis et sedantibus ex sententia auscultare, neminem medicorum latet. Cur autem symphoresis

cerebralis in uno individuo epilepsiam, in alio delirium furiosum, dolorem capitis in tertio producat, hactenus problema mansit insolutum. Oedipo conjectore opus foret, namque mortalium

Pauci valent veri caecas aperire latebras.

Interim nobis factum novisse sufficiat, ut saltem idonea liqueant praesidia, quibus suppetias ferre languentibus. Haec sequentis casus ergo dicta sunto.

Ruricola, 50 annorum, ἐνσαρκος, cephalaeis crebro obnoxius, die 20. Martii dira corripitur *hemicrania* sinistri lateris, inter quam *omnia objecta dupla comparent.* Turgor et rubor faciei, calor molestus ad frontem et orbitam, καρηβαρία, arteriarum temporalium micatus vividi, atque membranae conjunctivae levis suffusio statum congestionis, seu irritationis phlogodis supponere sinebant. Sex hirudinibus ad tempus sinistrum admotis, et infuso Sennae cum Sale amaro placatur cephalaea. Altera depletio localis, post aliquot dies tentata, *diplopiam* dissipat. — Cur juverit medendi methodus antiphlogistica, sine negotio intelligitur ex indole morbi statuta. Cur autem symphoresis cephalica in hocce casu diplopiam potius, quam aliam nevroseos formam produxerit, naturae curiosis expiscandum relinquimus. Sequentia phaenomena particularia, quae sub decursu, et maxime sub decremento morbi obvenere, notari merentur. Aeger singulis oculis, alterutro clauso, simplicia tantum vidit objecta; item etiam ambobus, si objectum ultra unius pedis distantiam non fuerit remotum ab organo visionis; secus cuncta adparuere dupla. Ab illo vero momento, quo, post secundam sanguinis eductionem, malum pedetentim sublevari coepit, diplopia decrevit in ratione directa distantiarum, ita ut, quae hodie adhuc duplicia cernebantur objecta ad distantiam duorum pedum, crastina die jam eundem effectum non pro-

duxerint, nisi ab oculis magis remota, et sic porro, donec tandem visus duplicatus, ad remotissimas solum res circumscriptus, penitus evanuit.

Puella duodecennis mense Augusto anni elapsi 1817 morbillum contraxit, tunc temporis in collibus Transpadanis grassantem. Medio in flore improvise evanescit exanthema, non sine gravi aegrae discrimine. Opitulante medici praesidio vincitur febris, pristinaque salus restituta videtur. Hebdomada vero nedum transacta irrepit tertiana febris adeo rebellis, ut cortice peruviano quater fugata, quater recruduerit, conspicuas viscerum emphraxes relinquens. Pari tempore juxta internam brachiorum, cubituum et femorum superficiem tumores emicant indolentes, duri, mobiles, cuti concolores, magnitudine nucis avellanae, hinc inde illam juglandis superantes. Corpus alioquin tenellum emaciatur, ac omni fere vespera quaedam febricula recurrit, ad conoubiam usque noctem porrecta. Tali sub rerum statu juvenca die 20. Martii nostrae committitur curae. Perspecta mali origine deuteropathica post morbillum anomalum et febrem tertianam contumacem, ejus sede et forma, nec non habitu cacheotico atque febre vespertina, nullum superfuit dubium de *vitio systematis lymphatici*, scrofulae non absimili. Cum vero desiderarentur symptomata, quae specificam illam cacotrophiam climactericam, puerilis evolutionis sobolem, distinguunt, *scrofulam spuriam* vocare non displicuit. — Extracta amara, sapones medicati, Rhabarbarina, serius Aethiops antimonialis, balnea, et emplastrum mercuriale phymatibus adplicitum auxilio fuere. Curae complementum adsequi non licuit, cum mater puellam, quae domum redire enixe precabatur, e Nosocomio educeret die 17. Aprilis.

Excellentiam methodi Nufferianae in pellenda *Taenia Solium* confirmare occasio nobis fuit. Eam inter

reliquas medendi rationes semper adhuc tutissimam esse, quamplurimis experimentis compertum habuimus, dummodo medicamentorum doses, et selectus drasticorum singulis casibus rite fuerint adcommodata. Quodsi votis quandoque non respondeat, ratio potius quaerenda erit in nimia timiditate medici audaciorem usum drasticorum abhorrentis, vel in quibusdam obstaculis ex parte individui nimis torpidi, aut nimis sensibilis positis. Praemittimus vespere, et mane subsequentis diei panatellam multo butyro conditam, atque post horam duas drachmas radicis Filicis maris exhiberi jubemus. Transimus postmodum ad pharmacon drasticoteron sub sequenti formula, ubi de adulto et robusto agitur aegro:

R. Calomelanos levigati
Gummi Guttae
āā grana viginti
Pulv. Rad. Ialapae
Sacchari albi
āā drach. unam.

M. fiat pulvis. Divid. in tres doses aequales, intervallo horarum duarum absumendas. Alvo fluere incipiente oleum Ricini cochleatim propinatur, donec nulla amplius secedentis vermis fragmenta in excretis adpareant. Negari quidem nequit, caput funesti hospitis perraro excuti; nihilo tamen minus aegri confestim ab omni incommodo liberantur, etiámsi optatus ille non acciderit casus, atque per menses laeta fruuntur valetudine. Verme denuo regenorato secundam tentamus impugnationem, etsi ejus ope pariter prolifica portio evacuari cunctatur, plenariam caedem tenacis parasitae oleo Terebinthinae et animali aethereo, eximii Bremseri ad mentem suppeditato, efficimus. Praecipua symptomata, quae nidulantem in intestinis taeniam comitari vidimus, erant illa hypochondriaseos in viris,

hysterismi in feminis, ita ut diagnosis persaepe difficillima fuerit, nisi secessus fragmentorum cucurbitinorum omne dubium dispulisset. Taenia Solium inter nostrates accolas non infrequens esse solet; Botriocephalus latus vero rarissimus.

Aprilis. 1818.

	Thermometri		Barometri			Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 16.	0.	poll. 28.	1.	1.	grad. 92.
Altitudo minima	» + 1.	8.	» 27.	4.	6.	» 50.
Altitudo media	» + 9.	42.	» 27.	10.	2.	» 70.33.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	9.	6.	0.	4.	7.	16.
	(a die 11 ad 12)		(die 11)			(a die 16 ad 17)

Solani et *Favonii* alternatim spirantes.

Initium mensis serenum, siccum, et frigidum. Noctes pruinosae, quin tamen virentibus satis noxam adtulerint. Primis diebus primae hirundines, fideles veris augures. Pedetentim increbescentem temperiem imber copiosus die 12. refrigeravit, flante Euro. Qui pedissequa die 13. infremuit, Argestes, hygrometri stationem ad gradus 50. depressit, qua minorem toto hocce anno non vidimus. Potior mensis pars nimbosa, pluvia, et inclemens. Electricitatis vicissitudines conspicuae; die 11. 18. 21. et 30. fulgura cum tonitru, grandine, et pluvia, spirantibus Zephyris. Ticini fluctus, quos contabescentes in Alpibus nives mirum in modum auxerunt, conterminos inundant agros et lucos.

MORBI EPIDEMICI.

Non solum ratio tempestatis, segniorque vegetabilium evolutio, sed etiam epidemica constitutio tardiorem veris ingressum clare demonstrabant. Quod excunte

mense Martii suo termino jam proximum videbatur, *epidemiae inflammatoriae dominium, rursus excanduit*, suffragantibus procul dubio ventis nimbosis, et frigidis.

Phlogoses pulmonum et *pleurae*, quas mense elapso observabamus crebras, utut minus graves, hoc mense obveniebant rarae quidem, sed gravissimae et insidiosae.

Aegrotantium numerus indies crevit. Inter eos multi erant operarii, qui extruendo Euripo navigero extra urbis moenia intenti, ac majoris mercedis stimulo pellecti, strenuissimos et virium robur superantes labores sustinebant, nullo ad injurias tempestatis qualescunque respectu habito. — Vix non omnibus morbis maleficus veluti daemon suam immiscuit nequitiam. Inde numerosus Libitinae census in Nosocomio; et qui tenacioris vitae erant, aegroti, saltem diuturna et ancipiti malorum caterva exercebantur. Neque mitiorem sortem experti sunt aegri in nostra Schola pertractati. Inter decem et septem susceptos tres obiverunt (in necrologio notati), totidem dimittebantur valetudinarii, et quatuor nonnisi post plures menses exactos pristinam salutem recuperare potuerant.

Peripneumoniarum decurrendi ratio universim non erat e communioribus. Ante omnia typus febris eas comitantis exacerbationibus et remissionibus luculentissimis signabatur, atque vigentem jam nisum in periodicitatem, aequinoctiis privum, sat clare prodebat. Conamina critica, die 7. 9. aut 11. suborta, plerumque insufficentia erant, et quidem, ut videbatur, ob nimiam reactionum vitalium oppressionem. Quae tandem exeunte secundo cyclo septennario accidere solebat explosio, vel morbum radicitus subvertit, vel trucidavit aegrum sub ipso agone. Frequentissimus exitus fuit ille hydrothoracis acuti, quem, cum plerumque derepente post criticam quandam perturbationem contigerit, pro specie criseos erroneae habuimus. Sanguis

e vena eductus, parum plasticus, et tenuem solum separans crustam pleuriticam, multo scatebat sero. Habitus aegrorum, etsi gravissima decumberent phlogosi, pallido squalore foedatus adparuit; frequens oedema brachiorum, vel crurum. Immo etiam in aegris alio morbi genere defunctis effusiones serosas in variis corporis antris deprehendere licuit, quae, sive durante processu morboso, sive ultimis vitae momentis ortae supponerentur, indubiam fidem fecerunt labis haud indifferentis in systemate vasorum exhalantium et lymphaticorum, unde abnormis hydrogenesis. Hujus autem fons palmarius partim in climate udo, partim in humiditate atmosphaerae crebris pluviis inducta, quaerendus videbatur. An fors occulta diathesis dialeipyrica, veris constans soboles, in medullis haesit, alius generis malis veluti coërcita, ac doloso reptatu processum vitae plasticae evertere moliens?

Sub tali rerum statu ipsa therapia febrium et inflammationum necessario modificationes subire debuit. Cum venaesectionibus caute mercandum erat, ubicunque enim justo major educebatur cruoris copia, propediem hydropicae diatheseos praecursores irrepebant. Qua de re latici vitali pepercimus, quamprimum exorbitantia virium ad moderamen fuit perducta, non curantes dyspnoeam et anxietatem, quae, cum a phlebotomiis nullum levamentum cepisset, immo detrimentum inde passa esset, potius imminenti colluviei serosae in pectoris cavo erat tribuenda. Protinus recurrimus ad Digitalem purpuream, et vesicantia. Plagas a Cantharidum stimulo provocatas ope pulveris Sabinae irritari per vices curavimus, epidermide prius detracta, lautamque eousque sustinuimus suppurationem, donec respirationis mendae disparuerunt. Vesicantia sterno superposita momentaneum saepe lenimen adtulere. A Mercurialibus et Nitro abstinuimus, pertimescentes, ne

nisus in liquationem serosam promoveretur. Libentius cum Digitali copulavimus Kermes minerale, vel Sulfur auratum antimonii, intercalatis pro circumstantiarum varietate decocto stipitum Dulcamarae, vel Oxymelle squillitico.

Quamquam rarissima esse soleant exempla *pulmonis suppurati*, quae lethali non terminentur eventu; possibilitatem sanationis tamen negari non posse, plures jam animadvertebant practici, nosque ipsi in casu fere jamjam conclamato compertum habuimus. Gravissimam utpote pleuro-pneumonitidem contraxit agricola, 46 annorum, ab eodem malo jam alias conflictatus, quin evidentem criminari scivisset causam, strenuos si excipias, et adverso coelo peractos labores campestres. Per tres dies domi moratur, nullum a vena quater secata emolumentum expertus. Die 7. Aprilis, quae erat quarta morbi, Clinicam Scholam subit. Terrenti symptomatum adparatui generosissima opponuntur arma. Praeter sueta remedia emollientia, eccoprotica, et diaphoretica, spatio quinque dierum undecim fiunt venaesectiones, iisque plus quam centum extrahuntur cruoris unciae, quin desiderata virium oppressarum libertas potuerit obtineri. Transivit dies septimus absque ullo criseos indicio. Die 9. morbi profuso sudore frangitur febris, spirationis gravamen vero ne hilum quidem emendatur; turgor vitalis in squalorem convertitur, et sinistrum antibrachium levi oedemate intumescit. Suspicio hypoclepseos serosae in cavo pectoris revellentium, et diureticorum necessitatem dictavit. Quare sterno imponitur largum vesicans, et emollienti potioni Oxymel squilliticum additur. Die 10. quoddam lenimen; respiratio liberior; urinae copiosae, hypostaticae; sputa facilius excussa; virium modica exorbitantia. Vesperi duo Sinapismi ad dorsum pedum. Die 12. recens symptomatum incrementum; spirandi

summa difficultas; tussis inanis, pulsus pleni, suppressi. Venaesectio; decoctum Althaeae et Dulcamarae; vapores emollientes ore hauriendi. Die 13. remissio matutina; sub vesperas auctus enormis febrilium motuum et dyspnoeae. Decima tertia jubetur phlebotomia; maximus, quem hoc anno adtigimus, numerus. Sanguis totus quantus serosus et dissolutus. Die 14. crescentibus indies indiciis hydrothoracis secundarii, et fracto prorsus incendio pulmonum, pulveres ex Sulfure aurato antimonii et Squilla propinari, et brachiis duo vesicantia imponi curavimus. Tussim importunam, et levem ardorem sub mictu sedavit granulum Opii ante cubitum. Die 15. versus crepusculum vespertinum horrore valido et improviso quatitur aeger; paulo post urens subintrat aestus, sudore partiali juxta collum et pectus quicquam moderatus; respirium semper anxium et laboriosum; tussis sicca. Haud ambigua internae suppurationis signa. Eadem therapia per tres continuatur dies. Die 19. morbi ingens copia puris sputis mucosis intermixti sub violento et fere suffocativo tussis impetu cum levamine excutitur. De rupta vomica nullum amplius dubium. Utrum synchronus hydrothorax fuerit effectus secundarius pyocystidis in pulmone sinistro clanculum evolutae, vel utrum ambo posthuma pari tempore orta fuerint, decidere non sumus ausi. Sub alternato usu Stibii, Squillae, Dulcamarae, Polygalae Senegae, pulverum Doweri, atque vesicantium partim sterno, partim locis intercostalibus adplicitorum, non neglectis sorbitionibus demulcentibus, pedetentim convaluit aeger citra spem omnem, sputis indies parcioribus et laudabiliorem qualitatem offerentibus, respirationis munere ad normam restituto, et febre penitus dissipata. Die 6. Junii suos petiit Lares vegetus et ovans.

Impetuosos, asperosque ventos principalem frequentium *ophthalmiarum* causam fuisse, non sine ratione suspicati sumus. Indolem prae se ferebant modo *catarrhosam*, modo *rheumaticam*, et quidem intemeratam, ubi sanos adgrediebantur homines. Ast longe crebrius inde adficiebantur individui scrofulosi, in quibus phlogosis specificam illam induit formam, quam medici ocularii nomine *ophthalmitidis scrofulosae* insigniunt. Nobis haec species ophthalmiae quoad originem *nil aliud esse videtur, nisi inflammatio catarrhosa, aut rheumatica, quae in gratiam dyscrasiae scrofulosae delitescentis specificum induit characterem*. Hanc nostram opinionem confirmare juvant argumenta sequentia: 1. Substratum ophthalmiae scrofulosae idem est, quod catarrhalis et rheumatica sibi vindicat, quippe conjunctiva mucosa palpebrarum, et serosa bulbi. — 2. Ophthalmia scrofulosa duplici sub forma decurrit, quarum una catarrhosae, altera rheumaticae, quoad symptomata et exitus quamproxime accedit. Prior per eminentiam infestat palpebras (*blepharitis scrofulosa*), et si ad conjunctivam bulbi extenditur subjectae simul corneae insidias struit (*prosphymenitis* et *Keratitis scrofulosa*), phlyctaenas et ulcuscula ichorosa parit, seu aphthas, ut eodem utamur vocabulo, quo idem posthumum phlegmhymenitidis in aliis locis indicari solet; processus organico-plasticus prae efficientia sensifera patitur. Altera species ophthalmiae scrofulosae, palpebris fere intactis, conjunctivam bulbi adgreditur, ophthalmitidis rheumaticae instar, copiosa lacrymatione, dolore, et photophobia sese distinguit, organicas metamorphoses rarius molitur; ergo incitationem oculi prae vegetatione adfectam indicat. Quandoque demum hybrida, vel hermaphrodita occurrit forma, quae de utraque mox adsignata participat, talique pacto mixtae ei corresponderet ophthalmitidis speciei,

quam in sanis individuis catarrhoso-rheumaticam compellamus. — 3. Subjecta scrofulosa ophthalmias nunquam contrahunt, nisi iis, quae catarrhosas et rheumaticas concitare consuescunt, injuriis exponantur, scilicet rapidis atmosphaerae vicissitudinibus. — 4. Si ophthalmia scrofulosa productum solius cacotrophiae cognominis foret, illius utpote metamorphoseos specificae, quae cachexiam scrofulosam efficit, ubique unum eundemque manifestare deberet characterem, eosdem ubique moliri exitus, eandemque sibi vindicare medendi rationem, uti exempla offerunt ophthalmitis variolosa, venerea, etc. Scimus autem ab experientia, quod prima species tractamen humidum, collyria nimirum rite selecta, ophthalmiae catarrhosae ad modum, non detrectat; secunda ex adverso varietas, rheumaticae ophthalmitidis instar, ab humidis pessime exacerbatur. — 5. Ophthalmia scrofulosa nunquam epidemice grassari posset (experientia tamen contrarium docente), si simplex effectus diatheseos scrofulosae foret; hanc enim epidemicam esse nequire unusquisque perspiciet, qui exactam των ἐπιδήμιων καὶ των χοίραδων ideam habet. — 6. Pari tempore, quo in scrofulosis individuis ophthalmiae scrofulosae passim occurrunt, inter sanos, vel saltem a scrofula immunes debacchantur ophthalmiae catarrhosae, aut rheumaticae; ergo ad communem scaturiginem concludendum esse, ratio suadet. Eodem Aprilis mense, cujus epidemica fata hic perstringimus, in Brephotropheo nostrae urbis duorum dierum spatio quindecim individui ophthalmiis fuere correpti. Pueri scrofulosi, vel qui levissimam tantum systematis lymphatici labem praebuerunt, ophthalmia scrofulosa, nutrices catarrhosa vel rheumatica, neonati demum et lactantes illa specie conflictabantur, quam uberrimae secretionis mucosae gratia ophthalmoblennorrhoeam appellant. — 7. Oph-

thalmiae scrofulosae, aptius ophthalmiae catarrhosae, aut rheumaticae in subjectis scrofulosis dicendae, persaepe sanantur medicamentis simplicissimis, quibus nulla in eradicanda cachexia comite competit virtus, talique modo evanescunt, scrofula superstite.

Quicunque insignem diathesium morbosarum et dyscrasiarum delitescentium in aegritudines alius generis fortuito subortas influxum animo pervolvit, haud raro ita evidentem, ut istae ab illis specificum characterem nanciscantur et induant, — necessitatem curae mixtae sine negotio perspiciet. Quamobrem tutum ophthalmiae scrofulosae tractamentum suscipi nunquam poterit, nisi medentis intentio in eradicandum, vel saltem cicurandum comitis cacotrophiae statum dirigatur.

Ordimur curam a catharticis potentioribus, infuso laxativo Dispens. Vindob., vel pulveribus e Mercurio dulci et Ialapa conflatis. Oculi irritati aqua frigida saepius in die abluuntur, atque vesicantium, vel unguenti stibiati ope antagonistica efficitur derivatio. Fracta phlogosi collyrium Conradii plerumque magnalia praestat, dummodo ophthalmia de rheumatico non participet charactere. Urgenti photophobiae, et phlyctaenis rupturam minantibus, vel jamjam ruptis guttula Laudani liquidi Sydenhami, oculo quotidie penicilli ope immissa, medetur. Quodsi vero ulcuscula super corneam, vel scleroticam indies profundius serpant, ac in cameram anticam penetrantes iridis prolapsum minentur, adstringentis collyrii suppetias imploramus. Praeplacet Lapis divinus, cum pauxillo Aceti saturnini et Tincturae thebaicae, in aqua destillata solutus. Dyscrasiam scrofulosam interim adgredimur praeparatis Antimonialibus, vel generosis Muriatis barytae dosibus. Ultimum hocce pharmacon, timida si exhibeatur manu, semper infructuosum vidimus; summam contra ejus efficaciam admirati sumus, si dosis pedetentim ad drach-

mam semis, drachmam integram, vel et ultra elevatur, desistendo confestim, ubi vel minima stomachi gravamina producat. — Ejusmodi methodo, juxta varietatem casuum modificata, quatuor specimina ophthalmiarum scrofulosarum hoc anno feliciter, et absque ullo posthumo confecimus. Unguentis non utimur, nisi in consectariis, in pachyblepharosi et maculis corneae; etenim ophthalmitides a pinguibus ordinario exacerbantur, praesertim quae a psyxi ortum ducunt. Male medebuntur inflammationibus specificis, qui cacochymiae nimium tribuunt valorem, irritationis statum negligentes; pejus vero adhuc illi, qui chemismi abnormis jura spernendo, atque dualisticae virium diathesi unice innixi, equum vendunt, ut avenam acciperent.

Non defuerunt equidem hoc mense *febres intermittentes*; eas vero neutiquam vernae constitutionis progeniem fuisse, evicerunt obstructiones viscerum notabiles, typus quartanus, absentia characterum, qui febribus vernalibus competunt, ac illa demum circumstantia, quod aegri eodem morbo jam autumno elapso se adfectos fuisse testabantur, quare et ipsi, licet in arte profani, simplicem recidivam arguebant. Re quidem vera talem patefecerunt pertinaciam pauca illa exemplaria, quae tractanda habuimus, ut spreta amarorum et solventium remediorum virtute, potentiora antipyretica postularent. Placuit repetere experimenta jam elapsis mensibus aliquoties cum fructu instituta, quibus compertum habuimus, Corticem peruvianum parca etiam dosi intermittentibus fugandis sufficere, si paroxysmo vix ingruente propinetur. Haecce medendi methodus, pridem a Tortio et Cullenio, ac nuper a Thuessinkio et Nasse commendata, in eo consistit, ut drachma una, vel sesquidrachma pulveris Chinae selectae in duas partes dividatur, quarum prima dosis circiter hora ante paroxysmum, altera dum frigus

febrile ingreditur, exhibenda. Ut autem desiderati eventus tanto certiores redderemur, emeticum praemittere, atque Corticis peruviani mox adsignatam quantitatem cum quindecim granis Salis ammoniaci copulare decrevimus. Haecce methodus confundens, intercalato usu decoctorum amaricantium durante apyrexia, in pluribus quidem casibus suffecit, neutiquam tamen in cunctis.

Plures in Nosocomium deportabantur aegri *pellagrosa lue* adfecti; nonnulli jam hydropici, alii stupidi, melancholici. Nostra Schola unicum praebuit exemplum pellagrae, viscerum infarctu comitatae. Praemissis purgantibus et amaro-solventibus, nervino-tonica et victus exquisitus malo dissipando paria fuere. Dubitavimus tamen de sanatione radicali, probe gnari, morbum, utut ad speciem sublatum, proximo vere lubenter repullulare, eoque perniciosiores intus cuniculos agere, quo crebrius recrudescit.

MORBI SPORADICI.

Hysteriasis rebellis, notissimus ille chamaeleon πολυμορφος, qui sequiorem sexum adeo dire permulctat, et summae pervicaciae ergo opprobrium medicinae non immerito nuncupatur, nostra quoque elusit conamina in Virgine quadrilustri, a longo jam tempore partim chloroseos, partim ophthalmiae scrofulosae incommodis divexata, et a biennio tantum catameniis, iisque parcis, usa, quae mense Januario 1818 primis hystericae passionis praecursoribus contristari coepit. Effraenatum vero malum brevi adeo increvit, tantasque in organismo egit radices, ut vix ulla extet nevroseos forma, quam non lusisset. Oscitatio, pandiculatio, lassitudo improvisa, sensus globi praefocantis ad guttur, alysmus, inquies, panophobia nocturna,

crampus in musculis brachiorum, subsultus corporis, quales ab ictu electrico nascuntur, spasmi clonici, dyspepsia, ructus inodori, tripudium involuntarium crurum, ecclyses transitoriae, — haec fuere symptomata praecipua, quae inconstanti et alterna vice juvenculam excruciabant, eminente prae caeteris *scelotyrbe.* — Anthelminthica ab accersito medico incassum adhibentur. In nostro Clinico tentantur flores Zinci, Camphora, magisterium Bismuthi, Valeriana, Castoreum, Asa foetida, remedia stomachica varia, litus nervini juxta spinam dorsi, ultimo Martialia. Noluit autem impatiens aegra diutius apud nos commorari; quare dimisimus eam, non sanatam equidem, sed notabiliter sublevatam.

Compensavit indefessam nostram curam fortunatus eventus *choreae S. Viti*, qua puella undecim annorum jam a pluribus hebdomadis laborabat. Quin caussam adsignare scivisset parens amoris plenus, qui corculum suum nostrae commisit sollicitudini, morbum a torpore brachii utriusque ortum coepisse adfirmabat, cui paulo post crurum imbecillitas subsequebatur talis, ut sibi poplites improvise succidi quasi jamjam lapsurae sentiret. Octiduo vix elapso epilepticus assultus puellam e somno expergefecit; et ab hocce momento jam continui motus exleges ac invitae gesticulationes persistebant, ita ut neque firmiter pedibus insistere, neque prehensas manibus res retinere, neque vocabula, ea qua solebat claritate, proferre potuerit. Increscentibus postea motubus clonicis et gesticulatoriis semper cubare cogebatur; accedebant oris et labiorum adsiduae motitationes et ludicrae contorsiones, dyslalia, et paraphonia. Mente et sensibus externis perfecte constabat; per somnum plenaria musculorum quies; habitus aegrae macilentus; fibra delicatula; pulsus

debiles, molles; nulli juxta spinam dorsalem dolores, nullaeque visibiles anomaliae.

Quamvis manifesta non adfuerint indicia turgoris, atque irritationis in medulla spinali, (longe frequentior sane, quam passim creditur nevrosium, et maxime convulsionum causa); ea tamen ducti veritate, quod stante etiam debilitate universali quandoque occultae symphoreses in meningibus medullae delitescant; curam praesentis ballismi a purgantibus drasticis, et frictionibus cum Tartaro stibiato juxta dorsum ordiri voluimus. In casu ancipiti periculosa nobis videbantur antiphlogistica generosiora non minus, quam stimulantia; methodum contra antagonisticam securissimam largiri diagonalem existimavimus. Mitescebant quidem jam post paucas dies motus convulsivi, ast concidit pari passu virium muscularium robur; unde paralyseos metu perculsi, miseramque aegrae constitutionem prae oculis habentes, ad praesidia promptius revellentia, et nervina pharmaca transire necessarium duximus. Camphora cum oxydo Zinci, infusum florum Arnicae et radicis Valerianae agmen duxerunt, quo funestum adgressi sumus hostem. Interea puellam per plures dies lixivioso immisimus balneo, indeque extractam juxta artus resolutos et spinam dorsi cum Tinctura thebaica illiniri jussimus, quam methodum, Humboldtianis experimentis, et Stützii suasu innixi, in aliis casibus consimilibus proficuam, in praesenti tamen infructuosam vidimus. Tantum abfuit, ut status morbi emendaretur, ut potius indies magis cresceret paralysis artuum sinistri lateris, pedetentim in veram hemiplegiam conversa. Immo ad proximas propagines nervorum medullae oblongatae, ad recurrentem Willisii, hypoglossum, et glosso-pharyngeum jamjam extendebatur asthenia, testantibus paraphonia, mugitu quodam incondito, mogilalia, et dyscatabrosi. Mens

tamen semper sui compos erat, et sensus cerebrales illibati. Vesicantia repetitis vicibus cervici admota, atque frictiones spirituosae cum Ammonia pura et tinctura Cantharidum transitoriam tantum opem tulerunt. Languens reproductio organica, ac indies increbescens marcor nutrientium inculcabat necessitatem. Interim singulare accidit phaenomenon, quod nempe, progrediente paralytica resolutione nervorum spinalium, et maxime cervicalium, glandula thyroidea ad insigne excrevit volumen. Rerum statu in pejus ruente, licet remediorum stimulantium doses continuo auctae fuerint, atque periculo, in gratiam febris nervosae lentae secundario evolutae, ad summum culmen evecto, ad Naphtham phosphoricam, veluti ad sacram anchoram confugimus. Neque spem ultimam fefellit effectus. Tanta enim jam brevi intervallo fuit contumacissimae cladis emendatio, ut linguae et cruris sinistri mobilitas rediens indubium favillae vitalis feliciter resuscitatae testimonium praebuerit. Naphtham ex alcohole et acido phosphorico una destillatis praeparari curavimus, existimantes stomachum inde minus periclitari, quam si phosphorus in aethere quodam solveretur. Incepimus a guttis viginti intra nycthemerum propinatis, adscendendo pedetentim usque ad quinquaginta. Pro vehiculo selegimus mox infusum Valerianae, mox aquam Menthae cum tinctura Cinnamomi, mox decoctum Chinae, interponendo usum jusculorum concentratorum. Longa quidem et taediosa fuit cura, per quatuor menses continuata; sed faustus exitus in casu jamjam conclamato et operam indefessam, et temporis jacturam larga resarcivit manu.

	Thermometri	*Barometri*	*Hygrometri*
Altitudo maxima	grad. + 19. 0.	poll. 28. 2. 4.	grad. 85.
Altitudo minima .	» + 7. 0.	» 27. 5. 7.	» 58.
Altitudo media . .	» + 13. 02.	» 27. 9. 11.	» 72. 47.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	9. 4. (die 1)	0. 2. 11. (die 14)	20. (die 1)

Praevaluerunt venti *Solani;* non infrequens *Favonius;* *Coecias* subinde alternans cum *Africo*, *Circius* rarus; *Vulturnus* jam a mense Januario non spirabat.

Exacto primo triduo sereno confertissimae subintrarunt pluviae, adeoque postmodum crebrae, ut vix ulla fuerit dies, quae aquam non funderet, vel saltem minaretur; unde amnes et rivuli alveos passim egrediebantur. Solis imperium jamjam potentius evaporationem diurnam promovendo, nubes copiosas et densas efformare juvit, quibus dispellendis neque intercurrentes Favonii, nobis plerumque siccitatem serenam adferentes, suffecerunt. Udori multo correspondit humilis columnae barometricae statio, et continuae evaporationi vividissimus electricitatis lusus, quare mensis contra morem procellosus.

MORBI EPIDEMICI.

Quae alias jam mense Martio irrepunt, *febres vernales*, hoc anno praeter consuetudinem retardarunt, quod quidem phaenomenon ipsa anni temporis ratio quodammodo excusat. *Febres intermittentes*, ruricolis et operariis maxime familiares, atque feminis eminenter infensae, *typi* erant *quotidiani*, aut *hemitritaei.* Priores in continuas, posteriores in tertianas simplices lubenter degenerabant. Omnibus indiscriminatim, sal-

tem in exordio, aliqua complicatio comes ibat, *inflammatorio-catarrhosa*, vel *gastrico-pituitosa*, ideoque apyreticas inducias non offerebant, nisi prius depuratae fuerint. Eadem utroque in casu subministravimus medicamenta, quippe aperientia, blande solventia et diaphoretica, nullam enim essentialem inter praedictos characteres febriles admittimus. *Febres gastro-pituitosae epidemicae* nobis nil aliud esse videntur, quam febres catarrhosae cum eminenti passione tubi gastro-enterici. Quemadmodum dominante epidemia hyberna vicissitudines atmosphaericae organis spiritalibus insidias struunt; ita adpetente constitutione verna, quae ordinario officinam adsimilationis laedere consuescit, temperiei variationes rapidae in tubo gastro-enterico potiores reactiones concitant, quas uberior secretio muci, vel humores enterici, atque febris confestim sequuntur. Utroque in casu refrigerium sistit causam procatarcticam, cutis praebet atrium morbi, atque membrana mucosa substratum largitur. Differentia igitur catarrhos acutos fistulae spiritalis inter, et febrem gastro-pituitosam nonnisi in varia sede passionis localis, et in vario gradu incitationis vasorum capillarium, ad altiorem potentiam evectae, latet, ita ut in ista simplicem ac levissimam irritationem, in illa plerumque veram phlogosin praesentet.

Iisdem remediis, quibus complicationem abstergere tentavimus, ut febris intermittens simplex reddita suis tandem armis oppugnari possit, ipsam diathesin dialeipyricam persaepe supprimere nobis contigit. Secus ad antipyretica confugere oportuit. Rari fuere casus, qui Corticis peruviani ope indigebant; plerumque suffecerant remedia amara, aromatica, et subemetica. In femina sensibili febrem tertianam largo vesicante ad epigastrium adplicito extemplo sustulimus.

Constitutio inflammatoria primis jam hujus mensis diebus non solum de sua vehementia plurimum amisit, sed novam quoque contraxit modificationem. Insigni utpote frequentia intercurrebant *rheumatismi acuti*, quorum a duobus mensibus paucissima, eaque mere sporadica exemplaria observabantur. Nonnulli fixam *in pleuris, vel musculis intercostalibus* sedem tenebant; alii *per artuum musculos* vagabantur. Febrem sibi comitem habebant, quae vel simplex *rheumatica* erat, vel *catarrhoso-rheumatica*, in gratiam contemporaneae irritationis in velamentis mucosis bronchiorum, pulmonum, aut intestinorum. Rationem praecipuam hujus constitutionis rheumaticae intercurrentis, praeter humiditatem, in rapidis vicissitudinibus electricitatis atmosphaericae quaerere non displicuit, haec enim in gratiam redundantis evaporationis insignem tensionis gradum est adepta. Manifesta hoc intuitu adparuit antithesis inter epidemicam constitutionem hujus mensis, illamque mensis Martii.

Jam alio loco monuimus, inter diathesin catarrhosam et rheumaticam non solum quoad formam et substratum morbi, sed etiam quoad statum cutis manifestam subesse antithesin, unde concludere fas est ipsam genesin differentibus contingere modis, licet causa efficiens, refrigeratio, saltem ad speciem eadem sit. Quod catarrhi constructionem adtinet, communis pathologorum esse solet sententia, e suppressa perspiratione cutis vicarias in membranis mucosis reactiones, indeque statum irritationis, aut verae phlogoseos enasci. Hancce nosogeniam confirmat ariditas cutis in febribus catarrhosis fere semper obvia, atque insigne, quod transpiratio ad pristinum restituta et sudores uberius eliciti producunt, levamen. In rheumaticis contra febribus rem longe aliter se habere, unusquisque convinci poterit, qui vel perfunctorie conditionem cutis

considerat; aegri enim sudoribus persaepe diffluunt, quin vel minimum inde capiant emolumentum, immo rheumatis sanatio eousque impossibilis redditur, quousque abnormis ille nisus ephidroticus non fuerit cicuratus. Quapropter genesis rheumatum e longe aliis principiis eruenda erit. Nostram hoc in argumento opinionem paucis proferre liceat, quam, etsi apodictica certitudine hactenus carere ipsi lubenter fateamur, factis tamen ab experientia petitis, atque praeceptis physiologiae et pathogeniae consonam esse arbitramur, ideoque amplectendam, donec versatiores in scientia viri meliorem substituent.

Superficiei cutaneae, quae extimum organismi humani effingit limen, praeter multifaria munia, illud quoque incumbit, ut debitum commercium sustinere juvet inter illa elementa primi ordinis, quae per totam naturam vastissime dominantur, quibus nullum, sive vivum et organicum, sive mortuum et anorganicum corpus caret, et sine quorum interventu nulla existentia, nulla vita datur. Intelligo calorem et electricitatem, haec duo principia imponderabilia, quae fraterno semper vinculo juncta palmarium omnis vitae ὁρμῶν efficiunt. Quamprimum itaque atmosphaera nos circumambiens insuetas variationes thermoticas, vel electricas subit, in nostro quoque organismo analogae oscillationes contingant oportet, et quidem eo manifestiores, eoque rapidiores, quo magis superficies cutis indifferentem suum amittit characterem, illum utpote semiconductoris, pro statu salutis absolute necessarium. Novimus autem e physicis, aquam unum e principalibus utriusque elementi conductoribus esse. Ergo si superficies nostri corporis humescit, sive balneo, sive lavacro, sive sudore, sive circumflui aëris udore, et si aura frigida, humida, ideoque veluti sympericlectrica versus quandam cutis plagam cum impetu, vel diutius adflat, non poterit, quin solito majorem

et promptiorem caloris et electricitatis animalis detractionem producat. Hac posita concentus harmonicus functionum protinus subverteretur, nisi in organismi penetralibus statim innatus ille nisus proriretur, qui jacturam quamlibet resarcire studet. Quapropter quaevis repentina deductio caloris et electricitatis in partibus interaneis majorem reactionem suscitat; haec autem, uti sponte liquet, in illis maxime orietur organis, quibus aequalem praedictorum elementorum distributionem conservandi, omneque, etsi levissimum, dispendium rependendi, incumbit. Sunt vero in corpore animalium sanguine calido praeditorum, ac proinde etiam in homine triplicis generis instrumenta, quibus normalis status caloris et electricitatis regitur, nempe excitatores, separatores, et conductores. Pro *excitatoribus* agnoscimus systema nerveum et arteriosum invicem colluctantia; pro *separatoribus* systema dermaticum, pilos, et in parte membranas mucosas (non obliviscendo, quod non sint separatores perfecti, sed potius semiconductores, quum neque calor, neque electricitas perfecte cohiberi valeant, tamquam elementa, quibus nullum corpus vel momento caret); pro *conductoribus* demum membranas serosas.

Membranae serosae sunt paginae simplices, tenerae, politae, et continuo vapore uvescentes, ideoque jam ex sua natura pro conducendo calore et electricitate magis idoneae. Membranae serosae ubique eandem texturam, eandem miscelam chemicam, et eandem virium informationem habent; quibus positis eandem quoque capacitatem dynamicam illis inesse ratio suadet. Membranae serosae nectunt atque separant organa summe heterogenea, amiciunt omnia viscera, investiunt antrorum parietes, in musculorum interstitia sese insinuant, nervosi systematis centra et propagines, nec non intimam faciem vasorum obducunt, ergo univer-

sale et homogeneum sistunt vinculum et interstratum, quo tot partes heterogeneae (ideoque varia capacitate dynamica praeditae) atque differentes, veluti in unitatem indifferentem connectuntur. Hoc igitur respectu membranae serosae summe idoneum, ne dicam unicum, praebent adminiculum organicum, quo aequabilis obtinet distributio illorum elementorum, quae sub forma caloris et electricitatis e reciproco conflictu dynamico et polari antithesi systematis nervei et arteriosi extricantur, parique tempore vitae organicae causam et effectum sistunt. Hoc intuitu ergo membranae serosae cum cute et membranis mucosis in manifesta sunt oppositione. Illae conductioni imponderabilium obsecundant; istae reniti ad determinatum gradum debent; — illae, ceu superficies internae, reciprocam inter partes differentes harmoniam tuentur, et certam quandam indifferentiam, seu homonymiam moliuntur, unde aequalis in corpore nostro calor, aequalis ferme electrica tensio, vel saltem aequalis semper lusus inter singulos factores; istae ex adverso, tanquam externus nostri corporis cortex, efficiunt, ut organismus suam naturam heteronymam, ac determinatam quandam differentiam relate ad mundum externum defendat, unde temperies et electricitas diversa ab illa medii ambientis. Hicce jam intuitus physiologicus systematis membranarum serosarum nos facilius ad *nosogeniam rheumatis* conducet, quatenus exactior notio substrati, clariorem quoque ideam morbi, ejusque originis suppeditat.

Posito jam repentino, aut continuato aurae frigidae et humidae, vel etiam siccae super cutem uvidulam influxu, subducitur calor et electricitas in superficie. Hocce sublatum aequilibrium inprimis percipiunt membranae serosae, ac restituere adnituntur incumbentis muneris causa. Qualiscunque autem cogitetur in organismo vivo nisus, resarciendi amissum, inseparabilem

conjungit necessitatem vividioris reactionis, ac proinde augmentum incitationis vitalis supponit. — Mediante hac inductione ad illud pervenimus consectarium, quod refrigeratio (a multis pro debilitante potentia habita) veri stimuli positivi instar agit. Ast membranae serosae, ceu simplices conductores (organa hoc respectu potius passiva) non possent rependere subtractum, nisi illud aliunde repeterent, et quidem ab excitatoribus (organis thermo-electro-poëticis activis). Necessario itaque polaris conflictus inter nervos et arterias intendi debet, ut requisita proliciatur caloris et electricitatis animalis penus, mediantibus membranis serosis dispensanda; neque hanc intentionem concipere possemus, quin simul manifestationes vitae partibus lacessitis insitae, videlicet sensibilitas organica, seu coenaesthesis, atque irritabilitas arteriosa, ad altiorem potentiam evehantur. Prior sub forma doloris, altera sub forma symphoreseos activae, vel verae phlogoseos exsurgit. — En catena nosogenetica inter refrigerium cuti admissum, caloris et electricitatis subductionem, nisum ad restitutionem aequilibrii in membranis serosis, atque auctam incitationem efficientiae nervosae et arteriosae. — Membranae serosae quidem in statu salutis nulla manifesta praebent indicia sensibilitatis, vel irritabilitatis; nihilosecius tamen relativae facultates, seu idoneitates occulte delitescunt, atque stimulo accedente provocantur manifestationes illae, quae consuetis signis in conspectum prodeunt, dolore utpote, et vividiori circuitu sanguinis in canaliculis capillaribus, quum vasa majora deficiant. Tali igitur ratione membranae insensibiles fiunt summe sensibiles, vasa capillaria serosa et hyalina fiunt arteriosa et sanguifera, in gratiam sublatae indifferentiae normalis. Prouti vel efficientia nervea (factor negativus processus thermo-electrici), vel irritabilis vasorum (factor positivus)

per eminentiam intenditur, productum morbosum, quod ipsum rheuma est, mox formam algematis, mox eam phlogoseos adipiscitur, uti jam alibi notavimus; utroque autem in casu specificum sibi vindicat characterem, partim substrato adfecto, partim originis particularis rationi in acceptis habendum.

Quatenus therapia rationalis semper conditiones provocare debet contrarias illis, quae processum nosogeneticum efficiunt; eatenus sponte liquet methodum antiphlogisticam in persanandis rheumatismis nunquam sufficere, namque status phlogoseos nonnisi secundarium sistit effectum singularis illius aestus thermo-electrici intestini. Quamobrem ante omnia cogitandum erit de adminiculis, quae normale commercium calorem et electricitatem animalem inter et atmosphaericam restituere, damnosumque influxum injuriarum externarum avertere saltem eousque valerent, donec sospitatrix natura, venerandus ille tot morborum protomedicus, aequabilem principii biotici dispensationem, pristinamque harmoniam efficiat. Omnia corpora cuti admota, quae imponderabilium conductioni obstant, idioelectrica, sive cohibentia passim dicta in cura rheumatum magnalia praestant, nullis aliis remediis supplenda; adsidui scilicet fotus cum pannis laneis, cum stupa cannabina, gossypio, serico cerato, etc. quae sola haud raro, et maxime morbo recenter capto, mirum levamentum adducunt, immo radicalem sanationem perficiunt. In rheumatismis plerisque nulla urget sudores promovendi necessitas, cum rari sint casus, in quibus aegri non diffluant sudoribus, vel saltem ubertim transpirent. Docuit tamen experientia potus leniter diapnoicos egregie conferre. Hancce efficaciam non inficiamur equidem, immo lubenter suetam sequimur praxin. Non credimus vero, quod ephidrosin promovendo juvent remedia diaphoretica, sed quod,

incitata efficientia expansiva, aequabilem emanationem per omnes superficies exhalantes, ac proinde etiam per membranas serosas determinent, talique pacto ad aequabilem distributionem imponderabilium plurimum contribuant.

Hisce jam innixi principiis communiter rheumatismis acutis et febribus rheumaticis mederi solemus; nec unquam nos poenituit hanc medendi rationem usurpasse, atque discipulis sedulo commendasse. Quodsi morbus obstinatus sit, vesicantia suppetias ferunt desideratas; dolores dissipant, et metum hypoclepseos serosae, in quam rheumata pertinacia crebro nituntur. Loca vesicantibus tentata nunquam permittimus epidermide spoliari, sed simplici unguento ex oleo et cera, vel butyro insulso consolidationem promovemus, ac potius vesicans replicandum suademus, ubicunque commodum videtur. In usu remediorum revellentium ab eo semper proficiscimur principio, quod secretio vicaria artificialis morbosam, per quantum fieri licet, aemulare debeat; ideoque in rheumatismis, ceu morbis membranarum serosarum, a secretione serosa Cantharidibus provocata multo majus emolumentum expectamus et revera obtinemus, quam a secretione purulenta, aliave. In rheumatismis diuturnis, ubi, praeter inveteratam et fere habitualem diathesin, etiam secundaria mala tam dynamica, quam organica tolli debent, praedicta medendi ratio non sufficit, sed potenter resolventibus, alterantibus, anodynis, narcotico-acribus opus est.

Pleraque specimina *rheumatum* hoc mense occurrentium fuere *acuta* et *febrilia*. Chronicos rheumatismos non vidimus, nisi qui jam uti tales ad nos deportabantur, ab aegris neglecti, vel a medicis male tractati. Nostris sub curis acutum rheuma in chronicam labem unquam degenerasse, non recordamur.

Copulam rheumatum acutorum cum labe catarrhosa, haud infrequenter observatam, cum praemissis alio loco placitis circa antithesin utriusque morbi in nulla contradictione esse, sequenti ratione adumbramus. Posito rheumate, atque ephidrosi, quae ipsum comitatur, uberiori, nil facilius accidit, quam ut recenti refrigerio accedente cutis perspiratio derepente supprimatur, atque vicariae in membranis mucosis exoriantur reactiones, persistente interim processu irritativo in velamentis serosis. Item contemporaneus ortus rheumatis et catarrhi concipi poterit; nil enim obstat, ut refrigerium, suffragante individui dispositione, in tunicis mucosis aeque, ac serosis morbosas excitat reactiones, primo intuitu relationem sympathicam cum systemate dermatico, secundo intuitu consensum antagonisticum subvertendo. Quodsi autem ex adverso primitiva passio fuerit catarrhalis, rheuma supervenire vix posse, jam inde liquet, quod illa cuti sicca stipetur, hoc contra pro sui ortu cuti madida egeat. Id quod ratio, sanae pathogeniae legibus suffulta, suadet, experientia confirmat quotidiana.

Omnem *typhosi contagii* favillam nondum extinctam fuisse, varia hinc inde obvia exempla docuerunt; immo magis anceps aegrorum id genus viro infectorum videbatur sors, quam elapsis mensibus. Duo febre typhosa gravissima obruti apud nos extremum obiverunt diem, apoplexia enecati. An ἐνορμῶν expansivum per universam naturam potentius evolutum, an constitutio rheumatica, ac pendens inde major membranarum serosarum, ergo etiam arachnoideae, in statum irritationis et in effusiones proclivitas, an conditiones mere individuales insimulari debuerant, an plures una circumstantiae, difficulter decidendum.

Dominium *pellagrae* jam notabiliter obsolevit. Unicus tantum nobis obveniebat casus, formae tamen rarioris,

in juvene 20 annorum, e limitropha Laumellina proveniente, cui a pluribus annis ineunte semper vere cutis delibrari suevit. Anno praeterito, dum pellagrosum cacoderma suo fini proximum esset, improvise ipsi contrahebantur flexores digitorum in ambabus manibus et pedibus, ita ut prae dolore et extensionis phalangum impotentia neque gradi, neque manibus quid prehendere potuisset. Post triduum disparuere molestiae opitulante sola natura medicatrice, atque bona aeger per reliquam anni partem gavisus est valetudine. Adpetente vere anni 1818 denuo redibat erythema pellagrosum, iterumque emicabat extremitatum omnium contractura, post paucas horas sponte soluta. Die 11. Maji vero gravem et dolorosum assultum passus, Nosocomium adivit, in nostram Scholam, ut reciperetur, rogitans. Morbum principem et primarium pro *pellagra* agnovimus; formam *anchylen spasmodicam* adpellantes. Ejus originem, ut illam tot aliarum nevrosium, sub quarum schemate pellagrosa lues decurrere solet, statui irritationis subinflammatoriae in meningibus medullae spinalis tribuere non displicuit. Utrum vero haecce myelosymphoresis a simplici diradiatione erythematis solaris super membranas serosas, et speciatim super arachnoideam, vel utrum a metachoresi adfectionis protopathicae dependerit, decernere noluimus. Videbatur tamen secundus casus verisimilior, quatenus in pellagrosis universim turbae gastro-entericae et nervosae tanto facilius subnascuntur, quo magis defetiscit lenta illa, atque occulta phlogosis dermatica. Catharticis fortioribus, vesicante inter scapulas, balneis simplicibus et victu nutriente curam intra octiduum perfecimus.

Mentionem denique adhuc meretur insolitus hoc mense *aegrorum scorbuticorum* numerus, qui fundatam suspicionem movit, in ipso atmosphaerae statu insue-

tam quandam delituisse qualitatem, quae nisui in liquationem suffragaretur. Non defuerunt saltem pluviae crebrae, inundationes, indeque mador aëris adulto vere non communis, quibus scorbuticam invitari diathesin medicorum omnium observationes testantur. Nonnulli aegri eam praesentabant formam scorbuti, quam Werlhoff *morbum maculosum haemorrhagicum* vocabat. Praeter epistaxin effraenatam, petecchias lenticulares, ampliores, debilitatem summam, et squalorem cachecticum, nullum occurrebat symptoma morbosum; gingivae erant uti in sanis. In aliis contra aegris scorbutica dyscrasia suam tyrannidem ad solas gingivas circumscripsit, quae in exordio mali manifestum processum phlogoseos, tumorem utpote, dolorem, ruborem et calorem obtulerunt, febricula irritativa comite. Pari autem tempore foetor oris, exulceratio ad margines gingivarum, dentium nigredo et vacillatio; unacum habitu cachectico, scorbuticam dyscrasiam declararunt, unde *ulitidis septicae* nomen impertivimus. Caeterum nulla alia, quae scorbuticis priva esse solent, phaenomena adparuere. In plerisque casibus magnos splenes invenimus, qui procul dubio suam ad ortum scorbuti symbolam contulerunt. — Acida vegetabilia, amara, tonica et stomachica pro usu interno, atque collutoria ex decocto hordei cum aceto votis adamussim respondebant, ita ut ad potentiora remedia, cardiaca vel adstringentia transire superfluum esset.

MORBI SPORADICI.

Adolescens, 18 annos natus, jam a pluribus hebdomadis rheumate vago excruciatus, nec ab omni pellagrae suspicione immunis, terram intentis viribus fodeudo, gravique ralla glebas comminuendo, repentino incessitur dolore, pectus cultri instar transfigente. Aeger sine mora Nosocomium petiebat, inque nostram Scho-

lam postridie deportabatur. Morbus pro *myositide intercostali traumatica*, e distorsione musculorum pectoris, declaratus, quatuor venaesectionibus, cataplasmatibus, eccoproticis et potu refrigerante affatim sorbillato jam eo perducitur, ut obsecundantibus una crisibus interceisis, quarum prima die 5., altera die 7., et tertia die 9. comparuit, soluti quam proximus videretur aeger; dum inopinato nova caput extulit malorum seges, clandestino irrepens gressu. Die utpote 10. morbi ad genu sinistrum, atque dorsum pedis dextri tumores emicabant inflammatorio-lymphatici, quorum mestaticam originem et indolem sine negotio perspeximus. Anomaliae causam quaesivimus in duplici diathesi morbosa, pellagrosa et rheumatica, quas aeger jam a longiori tempore in medullis fovit; cum inflammationes phlegmonosae protopathicae, e violentis causis oriundae, nullum in metastases nisum habeant. Febris tabifica pessimi moris brevi suborta fatalem testabatur phymatum in suppurationem saniosam exitum. Apertis cultro apostematibus plurimus effluxit ichor, adeo dissolutus et foetens, ut illico de arrosis ossibus conjectaverimus. Exploratione postmodum specilli ope instituta confirmabatur praesentia cariei, tam in patella sinistra, quam in ossibus metatarsi dextri, quare aegrum in Chirurgicam aulam transferri curavimus. — Inserviat hicce casus pro illuminandis metastasium osoribus, qui omnes fastidiunt veritates, humoralem theoriam redolentes.

Cum emolumento promptissimo alterum hujus anni periculum fecimus, ut efficaciam pulverum absorbentium in *metrorrhagia* demonstraremus. Intra quatuor dies penitus conticuit stillicidium, jam a sex hebdomadis contra diversa remedia rebelle.

Melancholiam pantophobicam in femina 26 annorum, post continuas discordias et aerumnas domesticas obortam, pro simplici psychopathia declarare propen-

dimus, quum nulla fuerint indicia, quae somaticam quandam indicassent labem. Nihilo tamen minus aegram ab omni notula erethismi subinflammatorii in encephalo absolvere non potuimus, quam partim ex insolatione praegressa (cui mente capta e domo fugiens sese exposuit), partim ex continua agitatione animi, et panico omnium rerum, ipsiusque umbrae propriae timore inducta intelleximus. Ideo curam incepimus a remediis eccoproticis, temperantibus, et metopiis frigidis, pedetentim ad nauseantia, et ultimo ad nervina transeundo. Tartari emetici dosin quotidie paulatim auximus, donec ad duodecim grana pervenerimus; vomitu tunc aliquoties cum levamine secuto, abstinuimus ab ulteriori usu. Curam psychicam, quae nobis maximi momenti erat, Sorori Dedicatae commisimus, suadentes prae caeteris cunctas illas impressiones et exhortationes, quae metum dispellere, ac desideratam animi tranquillitatem inducere potuissent. Post quadraginta dies mentis perfecte compos domum remeavit.

Duo specimina *icteri*, unum e symphoresi activa hepatis, alterum ex infarctu diutino oriundum, decoctis solventibus e radice Graminis et Taraxaci cum Sale medio confectis, atque frictionibus Mercurialibus juxta hypochondrium dextrum institutis, intra breve tempus victas dedere manus.

Junius. 1818.

	Thermometri	Barometri	Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 24. 2.	poll. 28. 1. 11.	grad. 85.
Altitudo minima	» + 8. 0.	» 27. 10. 1.	» 55.
Altitudo media	» 16. 95.	» 27. 11. 15.	» 68.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	9. 5. (die 5)	0. 1. 13. (die 28)	20. (die 26)

Venti dominantes: *Solani* et *Favonii.*

Post nubila Phoebus! Ab eadem enim coeli inclementia, quae elapsi mensis partem potiorem contristavit, etiam hic mensis initia sumsit; exacto tamen quatriduo et nubes, et pluvias, et squalorem omnem velut extemplo dispulerunt Subsolani flatus. Serenitas modo peramoena et continua, venti rari, tenues. A die 9. aestus praefocans, inter 20. et 25. autem molestissimus, ob ἀνανεμίαν contemporaneam, ita ut neque nocturnis horis aura quaedam frigidula carebariam et languorem mitigaret. Tonitrua rara; multae contra nubes procellosae horizontem circumibant, quin exploderentur, quare in humilioribus atmosphaerae stratis persaepe negativa praevaluit electricitatis tensio, cui effeminantem illum tribuimus aestum, e sola temperie 24. graduum (licet maxima fuerit totius anni statio) vix concipiendum. Prosperant sata, vites, et bombyces, recreantque anxios agricultores, qui ab adversa elapsi mensis tempestate gravia non sine ratione pertimescebant damna.

MORBI EPIDEMICI.

Quam arctus sit nexus inter evolutiones atmosphaericas, anni temporum circuitu determinatas, et epidemiarum anniversariarum successiones, rursus evidentissimo exemplo exploratum habuimus. Tardior ingressus veri effecit, quod constitutio hyberna citra morem protrahebatur, *vernalis* vero *epidemia* occulto irrepens modo, ac de ingenio praecedentis semper plus minusve participans, suum characterem nonnisi mense Majo manifestare potuerat. Ast vix oborta locum cedere debuit subsequenti aestivae, in gratiam fervoris praecocis, qui tantum adtigit hoc mense gradum, ut majorem ipsa furens canicula non extricaverit. Qua de re quilibet mirari desinet *constitutionem epidemicam aestivam*, quasi mense citius evolutam.

Febrium intermittentium ingens erat numerus, ita ut fere medietatem morborum obviorum constituerent. Inter eas paucae *quotidianae*, plurimae *tertianae*, et quidem in exordio plerumque *duplicatae*, sub decursu in *simplices* vel sponte, vel suffragante medicina conversae. Vix non omnes id sibi privum habuerunt, quod paroxysmos dirissima comitabatur cephalalgia, eousque perdurans, donec blandus sudor febrilem placaverat aestum; et quod *character gastricus* eas comitabatur, hoc mense adeo vulgaris ut etiam plerisque febribus continuis immisceretur, primasque vias mox pituitosa, mox biliformi sorde obrueret.

De origine atque natura febrium gastricarum veris atque aestatis sequentem tuemur opinionem. Si verum est (quod profecto nemo inficias ibit), febres gastricas praedictas ex epidemico fonte, et quidem speciatim e conditionibus cosmicis et atmosphaericis oriri, cessat omnis suspicio de genesi saburrae per ingesta. Si ultro perpendimus colluviem primarum viarum e materiebus componi, quae in tubo gastro-enterico secernuntur, pituita nimirum, humore enterico, aut bile, nullum amplius remanet dubium, causam proximam in abnormi processu secretionis ventriculi, intestinorum aut hepatis esse quaerendam. Spectata sede conditionis pathologicae duas distinguimus febres gastricas aestivas; prouti nempe vel *hepar*, vel *fistula gastro-enterica* sordes subministrat. Hepar nullum alium, praeter bilem, separat laticem, ideoque omnis *febris gastro-hepatica* erit *febris biliosa*. Canalis gastro-entericus autem duas differentes humorum species secernit, videlicet pituitam, et humorem serosum, gastricum vel entericum; quamobrem sponte duae species *febris gastro-entericae* vindicantur. Prior communiter *febris pituitosa* audit; alteram, praeeunte Stollio, *febrem gastricam cum saburra biliformi* appellamus, quatenus et decursus

pyrexiae, et characteres sordium aliquam cum bile analogiam ostendunt. Omittamus febrem biliosam, nostramque perscrutationem pathologicam ad solam febrem gastro-entericam circumscribamus.

Organon, quod humores intestinales e sanguine secernit, est membrana mucosa. Quaevis autem secretio aucta (passivam si excipias hypoclepsin, summae et colliquativae debilitatis effectum) majorem supponit vasorum capillarium activitatem, incitationem auctam, ac proinde certam quandam irritationem. Quatenus communi medicorum omnis aevi consensu status irritationis in membranis mucosis, uberiori secretione comitatus, *catarrhi* nomine insigniri solet; eatenus etiam conditio pathologica febris gastro-entericae aestivae nil nisi *catarrhum intestinalem febrilem* refert. Nosogeniae modus adsertum ultro confirmare juvat.

Inconcussis observationibus evictum est, febres gastricas vernales et aestivas e refrigeratione oriri. Haec quidem interdum membranam mucosam ventriculi et intestinorum immediate adficit, dato v. g. potus gelidi casu, quemadmodum bronchia et pulmones ab aura frigida lacessuntur; — longe crebrius tamen super cutim allidit repentina temperiei vices, transpirationem et sudorem, tepescente coelo et maxime aestivis diebus uberiorem, supprimit, atque necessitatem vicariae secretionis in organis sympathice consentientibus inducit. Prouti hyeme instrumenta pneumatica organismi, ita vere et ineunte aestate ventriculus unacum intestinis tenuibus, aestate exeunte et autumno intestina crassa eminentem in morbosas labes fovent dispositionem, pro cujus diversitate eadem causa occasionalis, proinde idem refrigerium varios effectus producit, varias impetendo partes, *supremas* hyeme, *medias* vere, et *infimum ventrem* aestate adulta. Quo magis autem nisus emanatorius et centrifugus in corpore vivo intenditur,

quo uberior inde per superficiem periphericam corporis diversorum elementorum secessus contingit; eo major quoque, ubi ille derepente cohibetur, laticis analogi copia secretionibus vices agentibus educatur, necesse est. Si itaque tempore vernali, posito suppressae perspirationis casu, sola pituita everritur, in crescente aestu jam et ille intestinorum humor serosus ubertim separatur, qui cum sudore maximam cognationem habet, ideoque hujus defectum optime supplet. Perpendendo discrimen essentiale inter pituitam intestinalem, et humorem gastro-entericum, indolis potius serosae; — considerando modum differentem, quo uterque e sanguine praeparatur, prior enim est productum secretionis folliculorum muciparorum, alter productum exhalationis osculorum capillarium; sponte liquet duplex veluti membranae villosae tubi alimentaris character, ita ut priori intuitu tunicam mucosam, posteriori serosam praesentet. Qua de re febris gastro-pituitosa ceu simplex catarrhus intestinalis, febris gastro-enterica cum saburra serosa biliformi, ex adverso uti adfectus catarrhoso-rheumaticus intestinorum considerari poterit. Ipsa cutis conditio, quae in primo casu plerumque sicca, in secundo ad sudores prona cernitur, haud indifferentem cognationem prioris cum febre catarrhosa, posterioris cum febre rheumatica patefacit.

Indicationes, quas in febribus gastro-entericis explendas nobis proponimus, jubent. 1. Ut fomes morbose secretus, et in fistula alimentari redundans, licet nonnisi effectus morbi sit, eliminetur. 2. Ut conditio pathologica tunicae mucosae primarum viarum corrigatur. 3. Ut sublatum aequilibrium inter singulas sphaeras membranosas restituatur. 4. Ut virium exorbitantia moderata, pro criticis operationibus absolute necessaria, conservetur, vel si defuerit, aptis praesidiis inducatur.

Primam indicationis paginam absolvunt emetica et purgantia, prouti colluvies impura vel in stomacho, vel in intestinis delitescit, ideoque vel sursum, vel deorsum, vel *ἀνω καὶ κατω* expellenda. Non idem omnibus medicis est modus ventrem purgandi; nonnullis enim placent oleosa, aliis drastica, nobis arrident Tamarindi in principio, et posthac salina e decoctis amaro-saponaceis propinata. — Alteri scopo satisfaciunt remedia solventia et aperitiva, ergo a prioribus non multum absimilia. — Tertium finem adsequimur diaphoreticis blandis, et si pertinax fuerit cutis ariditas, vesicantibus et lotionibus gelidis. — Viribus vitalibus tandem medemur, pro diverso earum statu, mox antiphlogisticis, mox leniter excitantibus, mox methodo mere negativa, si desideratum observetur moderamen. Sanatio, ut in omnibus febribus criticis, est opus naturae.

Ubi unacum gastrismo pituitoso, vel biliformi diathesis febris intermittentis in connubio est, periodicasque effervescentias provocat, hanc postremam adgredi non licebit, nisi prior penitus dissipatus sit. Accidit tamen non raro, uno velut ictu utrumque hostem conficere, praesertim si emesis suo tempore praemittebatur. Secus ad nervino-tonica confugiendum erat, quae inter extracta Trifolii fibrini, Gentianae, Absynthii in aqua Menthae crispae soluta, infusa satura Calami aromatici, vel Caryophyllatae cum Sale ammoniaco nobis dilecta esse consuescunt pharmaca. Unico tantum in casu febris tertianae, cujus paroxysmi, summa virium prostratione, ephidrosi colliquativa, et animi deliquiis stipati, irrepentis malignitatis metum incutiebant, ad clavam Herculis peruviani recurrere debuimus.

Quamquam nonnulli practici typum febrium prorsus spernunt, credentes, quod solus character sufficientem pro stabiliendis indicationibus amussim largitur; nos

tamen longe aliam tuemur sententiam. Ratio febribus continuis medendi, a quolibet abstrahendo charactere, toto coelo differt ab illa febrium intermittentium. Prior ipsi morbo opponitur, namque morbo praesente usurpatur. Altera nonnisi contra diathesin morbosam dirigitur, adhibetur enim morbo absente, id est tempore apyrexiae. Remedia durante paroxysmo porrecta, sunt mere palliativa. Ergo febres continuas *stricto* in sensu curamus; febres intermittentes ex adverso praecavere adnitimur, quare cuncta pharmaca antipyretica ceu adminicula prophylactica sunt consideranda.

Quousque status incitabilitatis in velamentis fistulae alimentaris altiorem non induerit gradum, *quam* qui pro uberiori secretione requiritur, ideam simplicis ac levissimae tantum irritationis includit. Eam nomine phlogoseos insignire velle crassus foret error, *qui proh* dolor! haud paucos hodierni aevi medicos a justo veritatis tramite detorsit. Pari enim jure et cutim uberius sudantem, et oculum flentem inflammatum dicere deberes. Febris comes in illo casu non adeo a statu irritationis intestinalis, quam potius a sublato concentu harmonico inter systema dermaticum et gastro-entericum dependet; ideoque e genere irritativarum est. Evenit tamen sub concursu circumstantiarum faventium, quod eadem metamorphosis morbosa organismi, quae in uno homine irritationem aphlogisticam *suscitat* in alio altiorem gradum congestionis activae, vel veram inflammationem pariat, plerumque febre angiosthenica graviori stipatam. Et profecto hoc etiam mense plura tractavimus exempla *enteritidis catarrhosae* et *rheumaticae*, ex incauta refrigeratione ortae, quae id sibi privum habuerunt, quod diarrhoea profusa, vel dysenteria comitatae incederent. Si hocce profluvium, extincto jam mucilaginosis, refrigerantibus ac diluentibus incendio, perstitit, apotherapeusin postu-

labat, cui pulveres ex Opio et Ipecacuanha optime corresponderunt.

Typhus contagiosus hinc inde visus modo adeo doloso incedere solebat, ut in exordio facile pro febre gastrica graviori imponere potuisset, nisi ad stuporem capitis, et purpuram sub cute delitescentem mens converteretur. Cum itaque morbus de dominante constitutione gastrica participaverit, ipsa therapia modificanda erat. Curam exorsi sumus ab emetico, vel a purgantibus, sine mora ad refractas doses Tartari stibiati, et vesicantia transeundo. Neque in secundo stadio talis ursit virium languor, ut stimulantium fortiorum postularet usum. Aura Camphorae et infusum florum Arnicae auxilio fuerunt. Frustra medebamur feminae adultae, cui post levem pleuro-pneumonitidem catarrhosam typhus gravissimus supervenit, jam quinta die mortifer. In cadavere diligenter rimato nil invenire potuimus, quod lethi causam revelaret; quare virium siderationem a malefico miasmate inductam supponere fas erat.

Paucae *anginae*, et *pleuritides* obviae, potius sporadicae dicendae, adeo levidenses fuere, ut mitissimis praesidiis antiphlogisticis auscultarent. Participabant et illae de ingenio universalis choragi morborum, de indole utpote gastrica, indubia colluviei mucosae signa praebentes.

MORBI SPORADICI.

In puella septenni, orphana et vagabunda, quae mendicando victum quaeritabat, *variolae verae* obvenit casus, cujus origo, cum unicus fuisset, indagari nequivit. Insitionis prophylacticae praegressae nullum invenimus vestigium. Decursus fuit simplex et regularis, quamvis non levissimus, ob confluentes variis in locis,

et maxime in facie pustulas. Sub usu mixturae eccoproticae et potuum refrigerantium brevi convaluit.

Zosterem phlyctaenosum, ab insolatione et subsequente refrigerio ortum, in juveni bubulco tractandum habuimus. Levicula febris comes ibat, omnis gastricarum impuritatum suspicionis neutiquam expers. Eas vero potius effectum laesae functionis cutaneae, quam eruptionis causam credidimus. A scrobe cordis dextrorsum usque ad spinam dorsi erysipelaceus extendebatur rubor, cui phlyctaenae insidebant segregatae, ac limpido latice refertae. Nulla, praeter pauxillum ardoris, molestia. Hepatis emphraxis manifesta. Potionibus laxantibus et temperantibus absolvimus curam, ab externis abstinentes praesidiis. — Licet origo zosteris, sive eum erysipelas vesiculare, sive eczematis speciem declarare libeat, e generalibus pathogeniae praeceptis, posita prophasi ab aegro adsignata, haud difficulter concipiatur; obscura tamen semper manet ratio sedis, ac formae singularis. An nostro in casu delitescens jecinoris labes eruptionem ad hypochondrium dextrum invitavit?

Erysipelas faciei vesiculosum, quo femina robusta crebro exerceri solebat, paucos intra dies adaequatis remediis devicimus. Facie autem jamjam detumescente recens phyma erysipelaceum emicabat ad internum oculi dextri canthum, ea quidem sub forma, quam passim *Anchylopem* appellant. Alvo purgantibus sollicitata, atque sacculis discutientibus phlogosin reprimere tentavimus. Ast nycthemero nedum exacto jam indubia fluctuantis laticis signa instabant; quare partem inflammatam et dolentem cataplasmate emolliente foveri jussimus. Abscessus sponte ruptus sine negotio consolidabatur; nec aliud, praeter duritiem subjectae dacryocystidis, posthumum remansit. Sub continuato emollientium usu omnis metus secundariae fistulae lacrymalis disparuit.

Julius. 1818.

		Thermometri		Barometri			Hygrometri
Altitudo maxima	grad. + 24.	0.	poll. 28.	1.	6.	grad. 84.
Altitudo minima	» + 12.	2.	» 27.	9.	2.	» 54.
Altitudo media	» + 18.	21.	» 27.	11.	8.	» 67.
Vicissitudo maxima intra nycthemerum	9.	3.	0.	2.	4.	18.
	(die 16)		(a die 8 ad 9)			(die 11)

Venti dominantes: *Eurus* et *Caecias.*

Coelum constanter sudum, apricitas sicca, ventorum quies, atque aestus permolestus, incumbente passim languore, quem aurae meridianae lenissimum flamen vix recreabat. Tellus Sole adusta ubique rimas egit, exarescens ob longam aquarum penuriam. Die 8. Libs, nobis caeteroqui perrarus, tempestivis pluviis sitientes rigavit agros. Non minus gratas pluviolas die 17. et 20., Plenilunio vix exacto, advexit e diametro oppositus Caecias. Nunquam tamen pluit sine fulgure et tonitru. Laetae segetes; messis matura et opima.

MORBI EPIDEMICI.

Febres gastro-entericae cum saburra biliformi, et intermittentes tertianae semper adhuc prioratum tenent; eis accedunt *febres biliosae.* Ubique autem manifestus adparet in liquationem et debilitatem nisus, adeo quidem insidiosus, ut saèpe saepius improvise, primis jam morbi diebus vires corruerent, atque funestissima symptomatum nervosorum cohors succresceret. Paroxysmis intermittentium comata, ecclyses, ephidroses, et cholerae sese immiscent. Febres gastro-entericae et biliosae mox dysenteria, mox vomitu, mox etiam ominosa cholera stipantur; aliae insalutato hospite in typhum malignum ruunt. — Duo individui *febre bilioso-nervosa*

detenti in nostro Clinico extremum obiverunt diem; unius historiam, mentione haud prorsus indignam, inter funebria narraturi sumus.

Si aestivi fervores insuetum adtingunt gradum, ac citra morem protrahuntur, nullis imbribus placati, cunctae illae in nostro organismo evolvuntur metamorphoses, quas in terris tropicis summe perniciosas lues producere novimus. Non solum virium robur ineffabili modo prosternitur ac pessumdatur, sed etiam processus organico-plasticus corruit sub tyrannide excessivi caloris, ananemiae, electricitatis negativae, elementorumque phlogisticorum redundantia, ad pessimam tendens liquationem. Sub tali rerum statu miasmaticos, immo et contagiosos fomites extricari, satis abunde compertum est. Neque ab omni suspicione virulentiae immunes credidimus duos illos febris bilioso-nervosae casus, cum omnia exhibuerint symptomata, quae typhis malignis propria esse solent.

Arduum sane erat problema, justam in medendis hujus mensis febribus invenire normam. Ab initio methodum leniter antiphlogisticam, et evacuantem amplecti oportebat, tum quod manifesta intercedebant universalis irritationis signa, tum quod omissa sordium eductione febris resolutio sperari nequivisset. At saburra nedum excussa, jam status nervosus caput extulit, summo comitatus languore. Quum vero in exordio apodicticum judicium proferre non licuerit, an vires vitales obrutae tantum fuerint (debilitas nervosa spuria), an contra deleterio quodam principio pessumdatae et confectae; illam inter caeteras medendi rationem tutissimam esse decrevimus, quae in ancipiti compito nos veluti per diagonalem viam eo conduceret, ut virium reactiones suppressae liberentur et minitans lapsus avertatur. Duobus granis Tartari stibiati in decocto Graminis solutis sordes primarum viarum per

epicrasin subducendo, leves Camphorae doses interponere, vesicantia consuetis locis admovere, atque potionibus acidis polycholiae et nisui in liquationem obviam ire, optimum consilium duximus. Qamprimum autem verae astheniae subortae nullum amplius superfuit dubium, ad infusa florum Arnicae, radicis Valerianae, vel Angelicae, ad Chinae decoctum, ad Camphoram et Moschum transivimus. Scopum stimulantium in febribus nervoso-asthenicis nullum alium recognoscimus, quam ut artificialis inducatur febris irritativa, seu quod idem est, ut vires vitales depressae ad illam eleventur moderatam exorbitantiam, quae pro explosionibus criticis absolute requiritur. Quotiescunque diarrhoea simul ursit, remedio fuere clysteres mucilaginosi e cremore hordei et vitello ovi confecti, infusum radicis Columbo cum tinctura Cinnamomi, vel radicis Arnicae, a summo Stollio non sine jure collaudatae.

Id genus constitutione epidemica omnem ingenii inflammatorii favillam extingui debuisse, unusquisque perspiciet. Et revera neque unicum nobis obvenit peripneumoniae, aliusve inflammationis gravioris specimen. Nostram tamen adtentionem concitavit haud indifferens *rheumatum acutorum* frequentia, quorum nonnulla musculos artuum et colli (*myodynia vaga, skelalgia, trachellagra*), alia juncturas (*arthrodynia*), alia pleuram (*pleurodyne*), pericranium denuo alia (*cephalaea, vel hemicrania*) petebant. Dolor ubique eminens erat symptoma, hinc inde adeo vehemens, ut spasticos provocaverit insultus, nevralgiam simulando. Febrem vel nullam comitem habuerunt, vel levissimam, ac mere symptomaticam. Ab antiphlogistica methodo non solum nullum levamen, sed plane manifestam exacerbationem tormentorum oriri vidimus. Quare nervoso potius systemati blandiendum esse ne-

cessarium duximus. Opium radici Ipecacuanhae nuptum, verum illud Nepenthes Helenae, diaphoreticorum potentissimum, certissimumque, et dulce simul cruciatuum solamen, cunctis aliis anodynis palmam praeripuit. Atrium morbi stupa cannabina balsamico suffitu imbuta sedulo custodiri jussimus.

Adtentionem vero nostram haecce epidemia intercurrens rheumatica praesertim ideo concitavit, quod consuetae defecerint prophases, scilicet rapidae vicissitudines atmosphaericae, udor, venti asperi, nebulae. Decurrens Quintilis potius contrarias obtulit conditiones, aestum aequabilem, siccitatem, et crebram aëris malaciam. Haec observatio novum nobis suppeditavit argumentum, causas rheumatis neutiquam in solo frigore, ut vulgo creditur, esse quaerendas; sed alias quoque ad eorum genesin concurrere noxias atmosphaericas, et quidem prae aliis vicissitudines electricas, quae aestivis diebus non solum in aëre circumfluo propter uberam evaporationem, sed etiam in corpore humano ob eandem causam vividiores esse consuescunt. Ipsa demum cutis continuo ferme sudore manans maorem, quam salus postularet, conducendi facultatem contrahit, ideoque leviores etiam variationes in atmosphaera succedentes facilius persentiscit.

Quatenus ephemerides clinicae eum sibi prae aliis praeficum habent scopum, ut facta subministrent, morborum generibus et formis rarioribus, ambiguis, anomalis, aut dubiis illustrandis idonea, cui firmam superstruere διαγνωστικην; eatenus alterum casum *scarlatinae pemphigodis* referre liceat, qui eandem quidem formam raram, ut ille mensis Martii, ast majorem *malignitatis* gradum obtulit. — Opilio, 16 annos *natus*, semper pancratice valens, si scabiem elapso anno passam excipias, die 2. Julii, quin aliam, praeter frigus nocturnum aestuanti corpori admissum, causam adsi-

gnare valeret, perfrixit, capite doluit, demum incaluit, et cibum fastidivit. Pari tempore ardor oris et faucium comparuit, siti insatiabili comitatus. Subsequente die increverunt symptomata febrilia et anginosa, oborto alvi fluxu spontaneo. Die 4. morbi intumuit vultus, saturaque rubedo plerasque superficiei cutaneae plagas tinxit, cui vesiculae sese immiscebant, primum ad partes verendas circumscriptae, nycthemeri intervallo autem super caetera quoque membra diffusae. Die 5. morbi nostris committebatur curis. Caput erat valde obrutum et grave; responsum tardum et confusum; stupor; aurium tinnitus; nares siccae; oculi suffusi, lippi; labra, lingua, buccarum interna pagina, et fauces praerubra; dysphagia; dyspnoea; indifferentia erga cibum et potum; alvus diarrhoica; urinae fuscae, cum sedimento puriformi; cutis arida, calens et obsolete rubens; in facie, juxta internam brachiorum et crurum superficiem, sub axillis, et ad scrotum vesiculae numerosae, hinc inde confluentes, magnitudine nucis avellanae, limpido et flavicante latice refertae, quarum multae jamjam disruptae plagas relinquebant excoriatas, luridas, acrem et foetidum liquorem seroso-saniosum fundentes; transpiratio aegri, sublevatis lodicibus, gravem spirabat odorem, semicorrupto caseo non absimilem; virium prostratio summa; pulsus citati, pleni, moderate fortes, molliusculi. — Praescripsimus mixturam diaphoreticam, potum acidulum; plagas deglubatas aqua vegeto-minerali aliquoties in die humectari, et bullas turgidas acu perpungi jussimus. Subsequenti biduo eadem fere morbi imago, auctum si exceperis languorem virium, capitisque stuporem. Omni bihorio granulum Camphorae exhibetur. Die 8. sudores copiosi; urinae hypostaticae; levamentum universale; febris mitior; caput liberum; indubia criseos beneficae indicia. Convalescentia nullis turbata anomaliis auspi-

cato progrediebatur, ac desquamatione omni peracta salus redivit.

Non ignoramus equidem contagio scarlatinae id privum esse, quod systemati nervoso lubenter insidias struit, atque in processu organico-plastico insignem nisum ad liquationem producat. Compertum tamen habemus hancce propensionem clandestinam vix unquam actu prorumpere, nisi particulares patrocinentur circumstantiae. Nostro in casu anomaliae rationem in epidemica constitutione quaerere non displicuit, quae, uti supra innuimus, cunctis febribus malitiosum quoddam ingenium impressit. Universim aestas et *zona* torrida perniciosi esse solent morborum acutorum et contagiosorum advocati; unde jure meritoque adseri potest, easdem conditiones, quae processum vitalem ad summum evehunt perfectionis culmen, effraenata sui potestate persaepe exitium parare.

MORBI SPORADICI.

Complures hoc mense ad nos deportabantur feminae, *uterinis malis* conflictatae. Catameniorum anomaliae refrigeratione humida pedum vel abdominis, ut in lotricibus passim accidit, inductae, partim *metralgias*, concitarunt, partim *leves metritides*, vel dicam potius uteri *symphoreses*. Duae mulieres, quae jam a longiori tempore matricis indurationem, leucorrhoea comitatam impune ferebant, dirissimis eandem ob rationem exercebantur cruciatibus, ab hypogastrio ad lumbos usque protensis. Sub usu remediorum eccoproticorum, cataplasmatum emollientium, vel pulverum paregoricorum, si omnis jam evanuit inflammatoriae conditionis suspicio, dolores illi conticuerunt. Residuum scleroma, obstetricis manu confirmatum, balneis, et frictionibus Mercurialibus juxta inguina et internam

crurum faciem institutis non persanavimus equidem, ast notabiliter correximus. Extractum florum Calendulae, a WESTRINGIO propositum, nil opis tulit. Pulveres absorbentes e Rhabarbaro, Magnesia et Bolo armena conflatos, quarum in cruento uteri stillicidio sistendo virtutem debitis encomiis extulimus, etiam contra leucorrhoeam cum emolumento usurpavimus. — An mere accidentalis fuerit ille concursus plurium affectionum uterinarum, an vero in constitutione epidemica latuerit causa, determinare non sumus ausi, ad priorem tamen magis proclives sententiam.

CAPUT QUARTUM.

NECROLOGIUM EPICRITICUM.

„ *Habet has vices conditio mortalium, ut ad„versa ex secundis, ex adversis secunda nascantur*", elegantissimus scripsit Imperatoris Trajani Panegyrista. Sacra profecto veritas, quam ipsa doctrina *medica* satis superque testatur. Densissima hactenus caligine obruta squaleret omnis theoria, omnisque praxis, ni mors atra beneficam foenerata esset lucem. Denatorum exta nos edocent de rebus, quarum in vivis persaepe nec remotissimam conjecturam capere licet. Id, *quod* ratione duce interdum adsequi valemus, confirmare juvant extispicia, rimante cultro perfectae; novum igitur, amplissimumque cognitionum medicarum Oceanum aperiunt diligentes necroscopiae, sine quibus nulla foret Anatome, nulla Physiologia, miserrimaque Pathologia. Quum vero in hocce summi momenti argumento, quod propriam medicinae practicae spartam efformat, *Anthropotomiam* utpote *pathologicam*, multi Viri strenui omnibus viribus insudaverint, alii ei expoliendo totam fere vitam consacraverint, uberrimus jamjam extat observationum thesaurus. Ne itaque crambe repetita pagellas referciamus, tritisque rebus taedium adferamus, illos duntaxat casus aegrorum, in nostra Schola clinica defunctorum, expositur sumus, quos vel ob singulares in cadaveribus deprehensas metamorphoses organicas, vel ob epicriticas animadversiones, quibus copiam dederunt, mentione dignos existimavimus.

HISTORIA PRIMA.

Pleuro-Pneumonitis catarrhosa.

Agricola, 54 annorum, macilentus, variis in vitae suae curriculo morbis, et maxime inflammationibus pectoris divexatus, die 5. Novembris 1817, postquam frigida aura sudantem afflarat, inhorruit derepente, ac postea incaluit, lectum petere coactus. Nocte, quam insomnem transegit, dolor acris et punctorius ad latus thoracis dextrum et scapulam succrevit, ita ut aeger nonnisi magna cum difficultate animam reciprocare potuerit. Cum subsequentibus diebus morbi status ne hilum emendaretur, immo anxia formidine meticulosum aegrum perfunderet, die 8. mensis, quae erat 4. morbi Nosocomium adire statuit, inque nostram Scholam susceptus, sequentem dedit morbi imaginem: Cephalaea sub tussis impetu immaniter aucta; lingua alba; respiratio brevis, citata, anxia; dolor pungens ab ultimis costis spuriis lateris dextri ad scapulas usque porrectus, profundam impediens inspirationem; tussis molesta cum anacatharsi mucosa; decubitus supinus, et neglectus; levis tensio hypochondrii dextri; abdomen molle, contrectationis patiens; alvus soluta; urinae turbidae; sanguis emissus multam, densam, et tenacem separavit crustam; calor auctus; cutis arida; venarum salientium ictus frequentes, duri, et praecipites intestinam sanguinis accensi luctam acerrimam sat manifesto prodebant. — Praemissa phlebotomia decoctis emollientibus, eccoproticis, diaphoreticis, potionibusque nitratis incendium morbosum temperare statuimus. — Sub exacerbatione vespertina improvisum oboritur delirium, mente eum in modum emota, ut aeger fugam petere continuo tentaret. Suris duo vesicantia imponuntur. Die 5. morbi per totam noctem inter verba

desipuit; mane caput grave et temulentum; sitis Tantalea; respirium citatum, breve, streperum; omnium musculorum pectoris summa et conspicua intentio; febris comes ardore sicco stipata. — Omni bihorio granulum Camphorae e linctu demulcenti propinari, et duo vesicantia brachiis admoveri jussimus. — Die 6. post noctem continuo deliram perfecta redit mentis praesentia; respirii contra difficultas valdopere intenditur; nullus quidem amplius in pectore dolor, sed impetuosa tussis urget; sputa aegre prodeunt, ob summam tenacitatem, unde stertor ingratissimus; virium prostratio fere paralytica cum artuum tremulo micatu; urinae crudae; cutis sicca; pulsus debiles, molles, veloces. Praescriptam Camphorae dosin omni hora exhibuimus, largo vesicante novam revulsionem in medio thoracis tentando. Hora secunda pomeridiana miserrime suffocatus obivit.

SECTIO CADAVERIS.

Vasa meningis piae turgida, et sanguine atro plena; plexus choroidei hydatidibus variae magnitudinis conspersi, quarum una pisi volumen aequabat; pauxillum seri in antris lateralibus cerebri. In thorace dilaniato utrumque pulmonem partim vetustis, partim recentibus vinculis ad pleuram relegatum invenimus; in dextro pectoris cavo tres circiter librae seri limpidi; lobi anteriores pulmonum, nisi majorem excipias sanguinis copiam, illibati, posteriores vero infarcti, et praesertim dexter se ipso durior, majorque factus, ex livido rubens, hepatis potius quam pulmonis massam aemulans, hinc inde ulcusculis, et inchoantibus suppurationis germinibus conspersus, lymphatica pseudomembrana amictus; bronchia muco cruento-sanioso referta; cor ut in sanis. Jecur grande, fere lapideum, stomacho in-

cumbens, intus non degeneratum; cystis fellea bilioso turgens latice; fistula gastro-enterica copioso aëre distenta. Reliqua in statu normali.

EPICRISIS.

Duas mortis fuisse culpas ex decursu morbi patuit; organicas utpote in pulmonibus metamorphoses, atque repentinum virium lapsum. Quaenam vero fuerit primitiva, et quae secundaria difficulter decernendum? Veri tamen similior nobis videbatur sententia, astheniam inauspicato subortam pro prima et praecipua funesti exitus agnoscendi causa. Haec enim effecit, quod naturae conatus superando processui morboso, et exaequandis muneribus impares reddebantur, ideoque nec formationi productorum novorum reniti, nec eductionem eorum absolvere potuerant. Et revera gravissimorum symptomatum ortus improvisus sub exacerbatione vespertina diei quintae, quae de futura aegri sorte decidere debuisset, irritum molimen abunde indicat, quare ipsam effusionem serosam, cujus nulla prius signa aderant, pro effectu *criseos erroneae* declarare non cunctabamur. Quod prava conditio pulmonum ob praegressas peripneumonias, eorumque cohaesiones cum pleura intercostali ad infaustum eventum quamplurimum contulerint, liquido patet. Hujus gratia vires in organo inflammato ultra modum suppressae et sub decisiva lucta enervatae, impactum laticem lymphaticum neque per viam circuli propellere, neque per viam emunotoriam bronchiorum excutere valentes, lethali rivo, antrum pectoris inundanti, occasionem dederunt, cui resorbendo obstabat arctissimus pluribus in locis inter utrasque pleurae paginas nexus.

HISTORIA SECUNDA.

Pleuro-Pneumonitis catarrhosa.

Rusticus strigosus, 53. aetatis annum agens, temperamenti irritabilis, duris laboribus exercitatus, aëris-que intemperiei continuo expositus, quamplurimas jam perpessus est aegritudines, quas inter febres intermittentes recidivae, febres rheumaticae, et iteratae pectoris inflammationes praecipuam mentionem merentur. Die 12. Decembris 1817, postquam corpore sudoribus manante frigus incaute exceperat, sub vesperas levi et vago horrore perstringebatur, subsequentibus confestim calore, cephalaea, lassitudine et dyspnoea. Aestus febrilis ad seram usque noctem porrigebatur, simulque dolor pungens ad imam thoracis dextri plagam emicabat, profundiorem spiritum adtrahere vetans. Altera die, continuante eadem malorum syndrome, accersitus medicus venam secabat, emollientibus una usus decoctis. Die 15. mensis et 4. morbi nostris commissus curis, gravissimae obtulit pleuro-pneumonitidis imaginem, videlicet: anxietatem summam; respirationem decurtatam, brevem; tussim crebram; sputamina mucosa striis sanguineis tincta; dolòrem acutissimum, sub inspirationis profundioris tentamine intolerabilem; calorem urentem et siccam cutim; pulsus veloces, duros, plenos, suppressos. — Nulla interposita mora ad sacram pleuriticorum anchoram confugimus, uncias decem sanguinis educi jubentes; insuper mixturam diaphoreticam, dilutissima decocta affatim sorbillanda, clysteres, et cataplasma emolliens locis intercostalibus superimponendum ordinavimus. — Die 5. morbus notabiliter deferbuit; respirium magis liberum; pleurodynia complacata; tussis rarior; euphoria. — Die 6. status ab hesterno non absimilis. Alvum pigram enemate

sollicitavimus. — Die 7. tussis importuna blandam noctis quietem perturbavit; sputa difficulter excutienda, tenacia, ductilia, particulis puriformibus commixta; nullus dolor pleuriticus; respiratio valde laboriosa cum anhelitu; cutis impermeabilis; febris mitior. Praemissa modica venaesectione, granum dimidium Kermetis mineralis omni bihorio exhibuimus, jugibus ac tepidis insistendo potionibus. Vesperi vesicatorium inter scutula operta adplicitum fuit. — Die 8. nullum levamen; crisis frustra expectata; respiratio indies difficilior; tussis permolesta, cum sputis parcis, viscidis; pulsus frequentes, molles, adpresso digito facillime elidendi. Dosin Kermetis augere, ante cubitum pulverem Doweri propinare, et epispasticum sterno imponere necessarium duximus. — Die 9. levis et momentanea mentis emotio; stupor capitis; status animi talis, ac si somnum inter et vigiliam haereret; respirium orthopnoicum, immoto fere thorace peractum; tussis continua; sputa copiosiora, tenacissima, polyposis concrementis permixta, quae bronchiorum infimas ramificationes perfectae aemulabant; sitis flagrans; lingua sicca; sudor frigidus ad frontem, reliqua superficies arida; urinae absque sedimento; meteorismus; pulsus irregulares; languor summus; quibus tamen omnibus contemtis aeger se bene valere adfirmabat. Cum Kermete minerali nubitur granum dimidium Calomelanos et Camphorae; brachiis duo vesicantia adponuntur. — Die 10. mors ostio pulsat; aeger laboriosissime respirat, ac si viis spiritalibus angustatis intra thoracem quid ebulliret, sibilloso cum strepitu. Senescente die animam efflat.

NECROSCOPIA.

Meninges sanguine suffusae; cerebri medulla solito durior; plexus choroidei hydatidibus, caput aciculae

parum excedentibus conspersi; in ventriculis tricornibus seri tantillum. Cavea thoracis laeva ultra duas libras laticis serosi recludebat, cui copiosa innatabant coagula floccosa lymphae plasticae; uterque pulmo infarctus, atrorubens, durus; dexter prae sinistro mole auctus, hepaticus, germina innumera abscessulorum recondens, friabilis, ligni cariosi instar. Infimae bronchiorum diramationes polyposis refertae concrementis, quae earum formam perfecte aemulabant, et hinc inde cum *superficie* mucosa firmiter cohaerebant. Coloris erant albescentis, consistentiae pulposae et semielasticae, in aqua et spiritu vini insolubilia, muco copioso et tenaci, qui totam asperam arteriam replebat, obducta, illisque prorsus similia, quae penultima ante mortem *die sub* tussis impetu ejecta fuerunt. Cor normale; pericardium sero plenum. Hepar praegrande diaphragma sursum pressit, utrumque hypochondrium occupavit, ac ventriculum recondidit; in sua compage tamen atque textura, quod admirandum sane, nullam prorsus *mutationem* patefecit; ergo simplex parectama. Intestina aëre plena; reliqua viscera more sanorum illaesa.

EPICRISIS.

Praesenti casu abunde edocemur, quanta sub adversis circumstantiis esse soleat phlogoseos catarrhosae nequitia, quantus in anomalias, in organicas metamorphoses, ac inopinatam perniciem nisus. Nunquam tamen funestiores struunt, insidias, quam si ari*dum* cutis emunctorium pervium reddi recusat, vel si idiostatica crisi, per uberiorem muci secretionem perficienda, insuperabilibus praepeditur obstaculis. Primo in casu repentinus virium lapsus, et processus liquationis, in secundo organi adfecti ruina commu*nes* sunt effectus. Illas universim eccrises in morbis or-

ganorum secretoriorum summe beneficas esse novimus, quarum productum cum latice peccante quoad qualitatem maxime congruit. Ita in morbis renum urinae, in cholosibus fluxus biliosus, sudores in exanthematibus, et s. p., desideratissimam semper constituunt excretionem. Ubi vero albumen, vel principium fibrosum praedominatur, membranae mucosae opportunissimum colum suppeditant; videntur enim in statu sano, praeter multifarios alios fines, et illum sibi praefixum habere, ut redundantes fomites plasticos sub forma muci e corpore educant. Si modo in gratiam obortae phlogoseos in pulmonibus justo major laticis albuminosi et fibrosi copia generatur et coacervatur, vel praesens majorem coagulabilitatem adquirit, et si ex altera parte ejusdem phlogoseos gravissimum gradum adtingentis causa secretio muci cohibetur, tunc necessario redundans in organo latex lymphaticus perniciosos intus cuniculos agere debebit, vires utpote supprimere, ac serius exhaurire, variasque texturae et integritati organicae insidias parare. Haec omnia tutius praeverti nequeunt, quam per restitutam blennopoësin et anacatharsin. Verum quidem est, membranis mucosis (uti cunctis organis secretoriis), eam competere virtutem, quod fomites primitivos sanguinis circulantis in proprium convertant liquoris genus, videlicet in mucum, qui denuo eo magis plasticus et albuminosus esse solet, quo magis, morbo maturescente, materies mobilis redditur, unde sputa crassa, figurata, puriformia in peripneumoniis, postquam benefica virium suppressarum emancipatio locum habuit. Nihilo tamen minus accidit interdum, quod membranae mucosae omnem, quae eo determinatur, lymphae plasticae copiam recipere et eliminare non recusent, excessivae autem copiae digerendae et in mucum convertendae impares evadant, ideoque laticem crudum transmittunt, qui e

suis alveis egressus et aëris influxui expositus illico coagulatur, spatio libero analogam adsumens figuram. Potest autem et ipsa hypoolepsis lymphatico-plastica, quae in superficiebus membranarum mucosarum, et maxime in larynge, trachea et bronchiis, pseudomembranas aut polypos progignit, duplici ratione considerari; mox enim est effectus phlogoseos gravis et per gradus increscentis, cui eminens humorum plasticitas comes it, mox productum explosionis criticae, sub ipsa lucta contingens, atque tunc ideam de *crisi idiostatica erronea* excitat, uti in nostro accidit casu. Ast non poterit dici crisis erronea quoad locum, qui materiei exitum moliebatur; est enim ille a natura pro excernendo muco destinatus, ergo colatorium naturale. Qualitas solummodo laticis suffurati a norma aberravit, quatenus longe diversam a muco, ceu humore excrementitio, qualitatem obtulit, eamque humoris inquilini retinuit, nimirum principium animale fibrosum. Quemadmodum in prima historia exemplum *criseos idiostaticae erroneae quoad locum* adparuit, quatenus redundans latex, per superficiem non emunctoriam, videlicet per membranam serosam pulmonum eductus, secundarium induxit malum, *hydrothoracem acutum*; ita in praesenti casu, praeter eam, specimen *criseos idiostaticae erroneae quoad materiam* habetur, namque redundans latex quidem per superficiem emunctoriam secessit, sed alienam qualitatem exhibuit, *polyposa* efformando *concrementa*. Ratio princeps anomaliae in prava subjecti constitutione, febribus rheumaticis et intermittentibus, viscerum emphraxi *enormi*, peripneumoniisque repetitis inducta, latitasse videbatur; nollem tamen ingenium epidemiae inflammatoriae, quae mense Decembri adeo eminentem gradum adtigit, ab omni absolvere culpa. In cunctis enim peripneumonia enecatis, etsi coagula polyposa *defe-*

cerint, pulmones admodum turgidi, mole acuti, et hepatis instar duri, cum pleura fortiter connexi obvenerunt, unde indubium enormis plasticitatis humorum habebatur argumentum. Si nosogenia atque aetiologia anginae membranaceae desideratam perfectionem acquisivisset, etiam similes casus *bronchitidis catarrhoso-polyposae* multum lucis inde adipiscerentur.

HISTORIA TERTIA.

Anevrysma Aortae ventralis.

Rhedarius, 46 annorum, temperamenti irritabilis, fibrae strictae, et staturae procerae, mero jam a multis annis profuse indulgens, juventutis florem sub duris bellicosi Martis vexillis peregit. Licet cum omnis generis molestiis atque incommodis colluctandum ei fuisset, vegetam semper conservavit salutem, nisi excipias talionis poenam a sordida et vulvivaga Cypride inflictam, cujus dolosis incautus crebro indulgens blandimentis, ulcera atque ecphymata in partibus verendis contraxit; neque luis universalis casum effugere potuit, ob morbi suique ipsius neglectum. Tandem sub usu frictionum Mercurialium convaluit, atque castrensi valedicens vitae ad suos redivit Lares, fabri mox lignarii, mox cisiari opificio addictus. Ab illo tempore saepius haemorrhoidibus coecis exerceri coepit, quibus stillicidium sponte obortum per vices remedio fuit. Exantlavit duas febres intermittentes, atque denuo hydrargyrosin subire debuit in gratiam favillae syphiliticae non penitus extinctae.

Dum quadragesimum adtingeret aetatis annum, ab adversa fortuna persecutus, novis continuo aerumnis implicitus, gravique moerore oppressus, primos persentiscere occepit crudelis cladis praecursores, quae

longo tempore in latebris corporis clandestine proserpendo tandem vitam subvertit. Praecipua, quae intervallo trium annorum sine lege et ordine miserum excruciarunt symptomata, fuere: virium languor, anxietas fugax, dyspepsia, ructus et flatus cum transitoria euphoria expulsi, scotodinia, sensus constrictionis praefocantis in gula, et fervoris intestini, tormina, lumbago per vices saeva, dolores artuum vagi, inquies, febris erratica, animus anxio metu salutis recuperaturae demissus, apanthropia, aliique psyches et coenaestheseos perturbatae adfectus. Morbus pro hypochondriasi declaratus multifariis oppugnabatur remediis, quin tamen optatum solamen adsequi potuisset aeger. Immo progressu temporis, perdurante aerumnarum tristiumque pathematum occasione, malum indies profundiores fixit radices adeo, ut dolosa hactenus labes suam nequitiam ultro celare nequiverit.

Die 24. Decembris 1817 acerrimus in epigastrio emicat dolor, ad hypochondrium sinistrum et lumbos protensus, comite anxietate intolerabili ac molesto sensu intestinae ad scrobem cordis pulsationis. Accedit dolorosa tensio juxta internam femoris laevi faciem versus inguen porrecta; continui vexant ructus inodori, atque fugaces in abdomine exsurgunt tumores, sub borborygmis torminosis, quos a spasticis intestinorum contractionibus ortos supposuimus. Vesperi aegrotus animo linquitur. Subsequentibus diebus perstat symptomatum praedictorum caterva; increscit vero sphygme epigastrica, quam astasia et anxietas ineffabilis comitatur, intercurrentibus leipothymiis, ac transitorio levamine. Postquam nonnulla remedia domi incassum sumserat, die 3. Januarii 1818 Nosocomium adit. Ast lecto vix commissus syncope adeo funesta corripitur, ut non nisi post horae spatium analepticis et frictionibus iterum resuscitari potuerit. Postridie in Scholam medico-prac-

ticam delatus, sequentem exhibuit morbi statum: Nox placido somno transacta; caput grave; oculorum caligatio; pupillae dilatatae; physiognomia sub adversi fati narratione animum valdopere commotum expressit; mentis plenaria praesentia; lingua munda et humida; faciei et labiorum pallor cereus; satias morosa ciborum; sitis multa; pectus ab omni labe immune; cordis motus obscurus, regularis; pulsatio ad stomachi regionem adeo fortis, ut admotam manum visibiliter adtolleret, aequabilis, ictibus cordis synchrona, ad hypochondrium sinistrum et umbilicum protensa; dolor in eodem loco obtusus, urens, fixus, a rudiori contrectatione increbescens, radiatim per conterminas partes diffusus; angor et βλεωτρισμος, maxime dum regio epigastrica comprimebatur; ereuxis non levans; lumbago; tensivus dolor ad femur sinistrum; alvus adstricta; urinae limpidae; lassitudo summa; pulsus celeres, exiles, rhytmo ac tempore inaequales. — Scopo mere palliativo flores Zinci cum pauxillo Camphorae, elixirium acidum Halleri ex aqua Chamomillae, emulsionem Amygdalarum pro potu, et epithemata frigida super epigastrium ordinavimus. — Versus horam quartam pomeridianam gravi corripitur syncope media inter colloquia cum adfinibns, et pauca post momenta omni privatur vitae indicio, mortalium cedens fato.

AUTOPSIA CADAVERIS.

Corporis superficies cerea; durae et piae matris vasa cruore inopia, collapsa; in cameris cerebri et ad basin cranii haud indifferens effusio seri; hydatides variae magnitudinis in plexubus choroideis. Pulmones, praeter quasdam exiguas cum pleura concretiones, illibati, ferme exsangues. Cor pallidum, vietum, parvum; ventriculus sinister sanguine orbatus, dexter paucis grumis

refertus; in pericardio aquae parum; vasa majora vacua. Abdominis cavum insigni copia seri sanguinolenti inundatum, cui densae innatarunt placentae e coagulato fomite fibroso conflatae, partim intestinorum anfractibus immersae, partim renalem regionem explentes, quarum nonnullae, sani hepatis volumen excedendo, ejusque formam et texturam mentiendo, 10 librarum pondus superarunt. Stomachus exiguus, contractus, e normali positu remotus, antrorsum et ad laevum latus pressus, pyloro deorsum detorto, ut fere umbilicum tangeret. Pone ventriculum tumor praegrandis, neonati caput aequans, durus, ovalis, vertebrali columnae firmiter adhaerens, capacitate duarum circiter liquidi librarum, quem sub exactiori indagine ipsum saccum anevrysmaticum fuisse, constabat, a penultima vertebra dorsali usque ad tertiam lumbarem protensum. Duo fuere hiatus, e quibus cruor lethali rivo profluebat; unus, digitum facile recipiens, supra insertionem arteriae coeliacae (quam lusu naturae duplam invenimus), alter prope originem arteriae mesentericae inferioris. Ex utroque hoc foramine sacci anevrysmatici sanguis primum in finitimam telam cellularem destillavit, ac tandem superato peritonaei obice, eoque duobus pariter in locis dirupto, viam sibi in ventris caveam paravit. Apertae cystidis evrysmaticae parietes crassi, et duri, exceptis duobus punctis, ubi rhexis contigit, teneris et marcidis; internum velamentum, aeque ac fibroso-musculare maxima in parte destructum; tunica vasis externa, seu cellulosa, fuit illa, quae ipsum saccum efformabat, namque unacum numerosis pseudomembranarum vasculosarum stratis sibi impositis ac invicem firmiter concretis in fornicem polyposo-grumosum extendebatur multis bracteis osseis rigidum, ac tuberculis miliformibus conspersum; in ejus cavo sanguinis coagula. Posticus cystidis paries unacum

corporibus trium vertebrarum (ultimae dorsalis et duarum lumbarium), ichorosa suppuratione exesa; ligamenta intervertebralia illibata. Quamvis suprema pars sacci anevrysmatici intra abdominis antrum constiterit, contigua tamen aortae thoracicae portio notabilem obtulit aequabilemque omnium tunicarum (sine ruptura) dilatationem; egrediens contra aortae truncus normalem retinuit diametrum. Itidem duae arteriae coeliacae, lienalis et mesenterica, ex ipso sacco anevrysmatico prodeuntes nec minimum expansionis indicium dederunt. Lien et hepar hypochondriorum fundo immersa, exsanguia et pallida, caeterum compagis illaesae. Plexus nervorum, vena cava et ductus thoracicus e suo positu dimota. Intestina tenuia, peritonaeum, et mesenterium pluribus in plagis atro cruore suffusa; item sanguinea infiltratio in textu cellulari aortam ambiente.

EPICRISIS.

Haemorrhagiam internam, et speciatim haematocoeliam, arteriorrhexi inductam, ac pedissequam syncopen mortis necopinae causam proximam fuisse, ecquis non perspiciet? Majorem vero admirationem concitavit adeo enormis magnae arteriae, partiumque contiguarum devastatio, quin, ultima si excipias vitae momenta, graves turbae in oeconomia animali fuerint obortae. Tam saccus anevrysmaticus, quam caries profunda trium vertebrarum jam a longo tempore efformari debuerant, et tamen nulla alia aegrum concruciabant incommoda, quam quae passioni hypochondriacae propria esse consuescunt. Horum originem et rationem facile explicabit, qui vitii organici sedem perpendit. Quemadmodum complures cacoplasticae organorum metamorphoses segni passu incedunt, atque eo minus conspicuas in organismo proritant turbas, quo

lentius evolvuntur; ita etiam in praesenti casu accidit. Natura humana pessimis interdum adsuescit conditionibus, dummodo pedetentim irrepant, adeo ut haud raro difficilius sit vitae tamdiu superstitis, quam mortis rationem expiscari. Primum aortevrysmatis germen procul dubio jam ante tres annos positum erat; utrum simplex in exordio dilatatio (quod saltem probabilius videretur, si statum aortae thoracicae prae oculis habemus), vel vera tunicarum interanearum ruptura, vix decernendum. Prophases inveniuntur in itineribus pedes peractis, abusu spirituosorum, Veneris cultu, in malis syphiliticis perpessis, repetita cura mercuriali, in opificio cisiario, et quod plurimi est, in continua serie aerumnarum et pathematum tristium. Harum causarum nonnullae compagem solidorum infirmabant, aliae virium robur hebetabant, sanguinis circuitum incendebant aliae, atque denuo aliae vasorum parietes extimulabant. Non possemus profecto genesin quarumdam mutationum organicarum concipere, uti essent parietum aortae spissitas, pseudomembranae, caries vertebrarum, nisi processus phlogoseos lentae supponeretur; quapropter angiotidem chronicam atque occultam, cui serius et spondylitis accessit, — utut primum anevrysmatis ortum ei adscribere non arrideret, — ceu comitem continuum et praecipuam cacoplasticae metamorphoseos causam agnoscere, rationi maxime consonum videtur. Aortae rupturam eadem die contigisse arbitramur, qua in Nosocomium delatus funestam passus est syncopen. Quum vero ea durante sanguinis circulatio constitit, praesumi potest, thrombum factum fuisse, et novam rupturam occlusisse, unde haemostasis spontanea, et temporaria virium refectio. Restituto circuitu humorum, ac imbecillo offendiculo reniti nequiente, secunda sequebatur haemorrhagia, sub cujus impetu ipsum peritonaeum cessit,

atque sanguis in cavum abdominis irruit, qui prima vice nonnisi infiltrationem extra peritonaei saccum produxisse videtur. — Apud Vesalium, Ballonium, Lancisium, Morgagnum, Vernojum, Fontanum, et Scarpam analogos casus invenire licet.

HISTORIA QUARTA.

Dysenteria catarrhosa.

Hydrophylax, 42 annos agens, temperamenti subfrigidi, habitus macri, plures vitae suae curriculo exantlavit febres, partim continuas, partim intermittentes. Ineunte mense Decembris 1817, postquam a pluribus jam hebdomadis laxam, torminosamque alvum habuerat, novum ac multo graviorem experitur accessum colicae, importuna diarrhoea atque tenesmo sociatae; vesperi febrit. Primo mali impetu nedum consopito, aeger periculi ignarus ad agrestia revertitur munia, nudis pedibus proluta prata pervadendo. Inops, omnique medico praesidio carens integrum mensem peragit, continuante semper alvifluxu, per vices torminoso et tenesmoideo. Die 2. Januarii 1818 in clinicum Institutum recipitur. Cephalaea levis; facies misera, collapsa; lingua alba, subsicca; sitis multa; nulla orexis; thorax sanus; venter indolens, adeoque collapsus, ut fere vertebrae tangi potuerint; alvus noctu novem vicibus soluta, parca, fluida, mucosa, sanguine tincta; tenesmus; cutis arida, imperspirabilis, coriacea, epidermide hinc inde in squamas dehiscente; macies universalis; virium prostratio insignis; pulsus vix frequentiores, parvi, debiles; febricula vespertina. — Dedimus infusum saturatum radicis Colombo cum tinctura Cinnamomi et mucilagine Gummi arabici, pulveres Doweri, atque decoctum radicis Salep

cum vino rubro; ter de die clysteres mucilaginosos dosi parca injici, et duo vesicantia suris adponi curavimus. — Die 3. quatuor secessus liquidi, foetentes; tenesmus mitior. — Die 4. et 5. sexies alvum dejecit mucosam, membranaceis ramentis permixtam, tenesmo magis urgente. — Die 6. dysenteria molestior; faeces graveolentes; motus quidam febriculosus. Auximus dosin Opii ad grana quatuor intra nycthemerum absumenda. — Die 7. et 8. tolerabilior aegri status; levis ab Opio temulentia; meteorismus; alvus intra biduum decies mota; nulla febris, nisi ad vesperas; cutis impermeabilis. — Die 9. et 10. nulla mutatio. — Die 11. improvisa rerum in deteriorem statum conversio; levis desipientia; adiaphoria stupida; oculi fixi, pulverulenti, orbitis immersi; pupilla immobilis; materies foeculentae clanculum secedentes, albae, mucosae, bilioso fomite privae, foetidissimae, emortuis membranae villosae particulis commixtae; decubitus neglectus, extremitatum immobilitas; anaesthesia; tendinum saltus; pulsus intermittentes, exilissimi. Elanguescentem vitae favillam mixtura cardiaca, pulveribus camphoratis, et vino generoso sufflammare conati sumus. Vesperi cuncta imminentis funeris indicia; facies hippocratica; extremorum frigus; paralytica musculorum et sphincterum resolutio; animi deliquia; apnoea. Noctu mors placida.

EXTISPICIUM.

Intra thecam encephali nil abnormis invenimus, nisi parcam seri effusionem in antris, et parvas hydatides in plexubus choroideis, quas jam variarum sectionum occasione reperire licuit. Adcuratiore investigatione edocebamur, illas hydatides, quae vix unquam volumen pisi minoris excedebant, nil aliud esse, quam

dilatationes partiales, seu varicositates vasorum lymphaticorum, quarum originem ex impedito libero motu lymphae resorptae, suffragante vasculorum teneritudine, explicavimus. Pulmones erant collapsi, molles, cum pleura hinc inde pseudomembranarum ope connexi; in superficie quaedam tubercula minutissima. Cor laxum, exinanitum. Incisum abdomen ultra duas libras seri limpidi dimittebat. Ventriculus aëre et medicamentis refertus; lien integer; hepar grande, pallidum, in sua compage ne hilum a norma deflécteus; cystis fellea atroviridi, densa, quasi picea bile distensa, volumine normalem ter superavit; ductus cholophori permeabiles, specillo argenteo in caveam vesiculae facile penetrante; interna membrana totius adparatus biliferi leviter inflammata, tumefacta, super strata subjecta facile mobilis, ideoque a bile exitum moliente in plicas acta, quae ostium occludebant, ingredienti vero latici cedentes coacervationi abnormi locum dederunt. Intestinorum tenuium pagina interna, sive peritonaealis, hic livida et rubra, illic decolor et lurida; membrana villosa per totum tractum atrorubens, quasi ecchymotica, millenis prominentiis miliformibus nigricantibus aspera, quas cryptas muciparas turgidulas et sanguine suffusas fuisse credidimus. Intestina crassa variis in locis callosa, degenerata, exulcerata; membrana utpote mucosa, paucis tantum insulis exceptis, erosa, consumta, foeda, decolor, aphthis innumeris conspersa, quarum nonnullae adhuc integrae (vesiculae), aliae jam ruptae in ulcuscula saniosa conversae; superstes hinc inde epithelium sub minima frictione secessit, eandem offerens formam, quam ramenta per alvum educta offerebant. Renes illaesi; vesica contracta, sine lotio.

En specimen *enteritidis catarrhalae lentae*, ejusque exitialis sobolis, *phthiseos intestinalis*, sub schemate *dysenteriae*. Phlogosis catarrhalis non solum, quia in praxi frequentissima est et lubenter negligitur, sed etiam quia singularem nisum in saniosam liquationem fovet, communis esse consuevit maleficae phthoës genitrix, qualecunque demum organon prehendat. Ita coryza in ozaenam, ophthalmitis in ulcera corneae, urocystis in consumtionem vesicae, bronchitis et pneumonitis in phthisin pulmonalem, enteritis in dysenteriam ulcerosam degenerat. Id autem sibi privum habet suppuratio, quae ex inflammatione catarrhosa *scaturit*, quod vomicas non format, sed *superficiales* potius *erosiones* parit. Plerumque in tractu inflammato membranae mucosae elevantur phlyctaenae acri latice refertae, quae, dum dehiscunt, in ulcuscula lurida et saniosa degenerant, medicis passim *aphtharum* nomine insignita. Hanc formam suppurationis, in superficiebus membranarum mucosarum obviam, catarrhosae inflammationis sequelam, *aphthosam* vocamus, ut distinguatur a *pyocystica*, quae in parenchymate organorum, praevia plurimum inflammatione vera seu phlegmonosa, oritur, plus minusve amplas vomicas efficiens. Exulcerationes intestinorum aphthosae, quatenus a lento processu phlogoseos pendent, tardigrado procedunt passu, quapropter etiam in exordio facillime praetervidentur. Quo plures vero inter se confluunt aphthae, eo ampliores efficiunt excoriationes et plagas exulceratas, (Enterodarsis), quae quidem in latum diffunduntur, subjecta vero strata non arrodunt, perinde ac si ibi propter heteronymam structuram nullum invenirent pabulum. Jam tunc processus organico-plasticus mirum n modum labitur, ac praeceps colliquatio hosti sub-

dolo personam exuit. Plures sane in praxi sunt labes morbosae, quae cancellos substrati primitus adfecti non egrediuntur. Ita e. g. syphilis, etsi summe generalis, encephalo, cordi, ventriculo, hepati parcit; ita inveteratissima rheumatica diathesis intacta relinquit parenchymata viscerum; ita noma septicum, praetereundo cujusvis generis organa, solum textum cellularem tineae instar exedit. Huc itaque et ipsa phlogosis catarrhalis quodammodo pertinet. Praeter degenerationem *ulceroso-aphthosam*, (cujus conceptum, Hippocratis et Boerhaavii exemplo innixi, ad omnes extendimus membranas mucosas, ideoque ceu phlegmhymenitidi proprium exitum consideramus), sive *cacoethen autonomam intestinorum crassorum*, nostram adtentionem concitarunt: 1. *innumera illa tubercula minutissima, atro-rubra, quae tunicae villosae intestinorum tenuium aspredinem quandam punctatam, veluti miliaceam*, oculis et digitis distinguendam, conciliarunt; 2. *ramenta per alvum secedentia*; 3. *cystidis felleae enormis expansio*.

Primam speciem metamorphoseos morbosae pro cryptis, sive glandulis muciparis membranae villosae inflammatis, atro sanguine suffusis, ac statui gangraenoso quamproximis declaravimus. Eam in cadaveribus dysenteria castrensi extinctis frequenter vidi; alii in pecudibus, dominante epizootia intestinis infesta, observarunt. Morgagnus ejus perfunctorie meminit in Epistola XXXI. Art. 14. — Ramenta, seu strigmenta, sordibus mucoso-faeculentis intermixta, pro particulis epithelii a subjecto corio secedentis habuimus; eas non melius, ac cum squamis, quas derma diutina phlogosi infectum separare solet, comparare potuimus. Hujus phaenomeni, sub decursu dysenteriae chronicae haud infrequentis, mentionem inveni apud Hippocratem (Prorrheticorum Lib. II. §. 30), Aretaeum Cappado-

CEM, et AETIUM. Nullus tamen veterum medicorum GALENO exactius pelliculas intestini abrasi indicavit, ξύσματα compellando, quod idem exprimit ac strigmenta. Descriptio dysenteriae ulcerosae, quam summus ille medicus Pergamenus posteritati reliquit, tanta nitet exactitudine, ut nulla magis. — Quod tandem tertium adtinet phaenomenon in cadavere deprehensum, insuetam utpote vesiculae felleae repletionem et expansionem, ipsa phlogosis catarrhosa intestinorum tenuium ad velamenta organorum cholophororum (quae pariter mucosa sunt) propagata, ac pendens inde tumor, libero obstans bilis exitui, praecipuam ansam dedisse videtur. SPIGELIUS, CUMENUS, LAMONJERIUS, et BONTIUS analogas observationes retulerunt. Systematis cholopoëtici labem universim in difficultatibus intestinorum chronicis haud raram esse, jam ALEXANDER TRALLIANUS et PAULUS AEGINETA docuerant.

HISTORIA QUINTA.

Myositis iliaco-lumbalis.

Virgo robusta et vegeta, 21. aetatis annum agens, secunda semper fruebatur valetudine; nec ullum posthumum reliquit febris tertiana, ante biennium Cortice peruviano perfecte sublata. Die 17. Februarii 1818, post graves labores, quos in agris colendis sub adversa tempestatis conditione ab horis sublucanis usque ad devexam diem sustulit, acuto corripitur dolore lumborum ad coxendicem dextram protenso, ita quidem, ut non solum incessus impossibilis, sed etiam omne fere truncum movendi tentamen summe dolorosum redderetur. Pari tempore capite doluit, caluit, et bilem evomuit, summam questa virium prostrationem. Accersitus subsequenti die Chirurgus duabus venaesectio-

nibus, atque cucurbitulis cruentis loco dolenti admotis nullum induxit levamen. Cruciatus indies increbuere; itidem febris. Hirudines, postea vesicans coxae impositum, ac sanguis e vena saphaena eductus nil opis tulerunt. Die 26. Februarii, quae erat 9. morbi, clinicis recepta aedibus summe ancipitem ac periculi plenum exhibuit statum. Cephalaea frontalis; noctes insomnes, syrigmus et caligatio oculorum; facies turgida; sitis clamosa cum desiderio frigidae; irriti vomendi conatus; respiratio citata, anxia, laboriosa; meteorismus; alvus oppilata; urinae flammeae; dolor immanis ad regionem lumbarem dextram, indeque versus cristam ossis ilei, et versus trochanterem diffusus, vel levissimam reformidans contrectationem, fixus, continuus; a molesto itinere quatuor horarum, quod curru vecta perfecit, tormenta maxime exacerbata fuisse retulit; impotentia dextrum femur flectendi; cutis arida; calor mordax; inquietudo; pulsus veloces admodum, moderate fortes, pleni. — E syndrome horum symptomatum ad praesentiam gravis phlogoseos in musculis lumborum, illisque femoris flexioni dicatis absque negotio concludere potuimus, decidere non ausi an psoas, an vero iliacus internus praecipuum morbi impetum sit expertus. Praemissa venaesectione, decocta diluentia, mixturam eccoproticam, et cataplasma emolliens super regionem dolentem ordinavimus. Exacerbatio vespertina gravissima alteram jussit phlebotomiam. — Die 10. morbi dolosa remissio, cui post meridiem ardens febris successit; dolores ex improviso mitificati, quod phaenomenon, cum in manifesta fuerit contradictione cum invalescente caeterum morbo, fatalem occultae phlogoseos exitum ominari sinebat. Eadem therapia. — Die 11. nox insomnis; caput grave; levis desipientia; oculi immoti; lingua sicca; respiratio difficillima, stertorosa; meteorismus insignis; ad lumbos nullus am-

plius dolor, nec ulla fluctuationis, vel tumoris indicia; pulsus celerrimi, exiles; resolutio corporis fere paralytica; febris ardens. Elanguescentes et jamjam ruituras vires suffulcire adnixi, mixturam camphoratam dedimus, loco adfecto largum vesicans adponi curantes. Versus creperum noctis praecoci fato occubuit misella.

SECTIO CADAVERIS.

Encephalon, atque pectoris exta in statu normali. Intestina multo aëre elastico pansa, caeteroquin ab omni labe immunia. Ad internam ossis ilei dextri superficiem, cui musculus iliacus inseritur, abscessus notabilis. In medio musculi sacro-lumbalis alia collectio puris ichorosi, quod contiguam telam cellularem consumsit, sibique viam strevit versus insertionem glutaei majoris, ipsumque quadratum lumbalem arrosit. Textura fibrosa omnium horum musculorum in massam mollem, friabilem, luridam, fusco-lividam, marcidam, foetentem conversa.

EPICRISIS.

Ortus phlogoseos muscularis adeo gravis, quae paucas intra dies devastantem induxit suppurationem, quin violenta causa praecesserit, atque necopina mors, quin nobilia viscera quandam labem contraxerint, duo exhibent momenta adcuratiore perquisitione digna. Si perpendimus, aegrae relationi fidem habentes, nullam aliam, praeter refrigerium, prophasin locum habuisse, primitivam *myositidis* indolem *rheumaticam* fuisse, ratio suadet. Quales circumstantiae concurrerint, quae hanc inflammationem rheumaticam ad verae phlegmones potentiam evexerant, (quod quidem necessario contingere debuit, cum inflammationes rheumaticae nul-

lum in suppurationes nisum habent) decidere vix auderemus. Aliquam saltem symbolam contulisse videntur: feminae temperamentum baeoticum et robusta constitutio; epidemiae inflammatoriae hujus anni altior gradus; ratio medendi in morbi primordiis inepta, scarificationes utpote, atque vesicantia super partem vehementer inflammatam; continuata concussio corporis sub itinere longo.

Mortis repentinae rationem quod adtinet, eam ex organica laesione musculorum lumbalium *subjective* considerata explicare nequiremus; caret enim substratum morbi illa praestantia, quae ad lethum directum concipiendum necessario requireretur. Nihilo tamen minus ipsissimam illam metamorphosin ichorosam *objectivo* intuitu vitalem flammam extinguere potuisse, argumentis haud proletariis innixi admisimus. Experientia constat suppurationes et gangraenas internas eo manifestius, eoque rapidius vires vitales pessumdare, quo pejoris indolis fuerit latex morbose secretus, et quo minus ei conceditur exitus; ubi ex adverso exulcerationes et gangraenae extrorsum patentes, etsi vastissimae fuerint, vitae longe minus insidiantur, idque potius massae organicae colliquatione, quam virium ruina efficere solent. Veritatem hanc practicam jam antiqui noverunt. Causam vero indicare nequientes, jam satis factum sibi videbantur, si in similibus casibus *malignitatem* subesse dixerint. Nobis sequens arrideret phaenomeni interpretatio. Pus, sanies et tabum sunt producta liquationis, in quibus elementa phlogistica sub variis formis, hydrogenis, azoti, carbonii et sulfuris, praeponderant. Quo magis ejusmodi producta characterem animalem deponunt, eo major in elementis componentibus evolvitur ad dissidium nisus, uti v. g. in ichore, et tabo gangraenoso, quod jam eorum foetor et acredo demonstrat. Sunt autem illa principia

inflammabilia in statu libero vitae humanae adeo infesta, ut non solum massam organicam sanam contaminent, eam in sui dominium trahant, eique suam naturam communicent (unde diffusio liquationis ad partes adjacentes), sed etiam vires vitales pessumdent, evertant, exhauriant (unde debilitas summa, paralytica, vere colliquativa). Quod si plaga exulcerata, vel gangraenosa extrorsum pateat, illa effluvia mephitica minus, vel saltem minus rapidum parant damnum, quatenus ob insitam expansionis vim in auras diffunduntur. Si contra exulceratio, vel gangraena reclusa fuerit, fomites phlogistici continuo extricati partim nervos immediate adgrediuntur, partim massam sanguinis polluunt, ejusque principium positivum, pro extimulandis fibris et nervis absolute necessarium extinguunt, talique pacto praecipitem illum virium vitalium lapsum progignunt, quem etiam in nostro casu proximam mortis causam fuisse, non dubitavimus.

HISTORIA SEXTA.

Mania encephalo-symphoretica.

Colonus, 25 annorum, temperamenti irritabilis, corpore sano et robusto, animo tamen ex sua natura imbecillo praeditus, nunquam aegrotabat, neque ullam haereditariae labis suspicionem dabat. Anno aetatis decimo sexto, nescio quo instinctu impulsus, in arithmeticis calculis suum studium collocare coepit; brevi tamen semitam nedum ingressam dereliquit, laboris difficultate et exiguo fructu, quem inde decerpsit, pertaesus, lubenterque denuo aratrum arripuit. Ast proh dolor! rudis et ad agrestem potius vitam a natura destinatus juvenis, continuo parentum suasu exhortatus, ne dicam coactus, rursus Minervam invito animo

amplecti debuit, et quidem eo fine, ut commilitones ejusdem pagi in doctrinis catecheticis erudiret, quas ipsemet ignorabat. Quamvis imbecillam mentem omnibus nervis intenderet, ac fere torqueret, nihilominus e psalmis Davidis, pluries perlectis et ruminatis, nullum sensum elicere potuit.

Petita cujusdam Clerici (quem alienatae mentis fuisse dicebant) consilia tantam idearum confusionem produxerunt, ut omnem desideratae eruditionis spem amiserit, profundo hac de re afflictus moerore. Circa 22. Februarii 1818 infelix juvenis prima emotionis mentalis indicia dedit. Postquam cunctos fere obvios de interpretatione quarumdam stropharum hymni psalmici incassum percontatus erat, ardenti semper revelationis cupidine impulsus Templum Domini adivit, ibique, praeviis soliloquiis religiosis, Ens supremum enixe, altaque voce imploravit, ut ei in tali dubitatione benignas ferrat suppetias. Ab hoc tempore continuum ei erat delirium, inconcinnis sermonibus, gesticulationibus ridiculis, pervigilio, et continua inquietudine comitatum. — Die 2. Martii in Clinicum ephebeum translatus sequentem exhibuit statum. Nox insomnis; caput calens; oculi scintillantes; levis epistaxis absque levamento; lingua arida; stridor dentium; carotidum ac temporalium arteriarum pulsatio visibilis; corporis agitatio irrequieta sine scopo; convulsivi tendinum micatus; vociferatio et desipientia circa objecta religiosa, et maxime circa hymnos Davidis; fugam petendi nisus insuperabilis; musculorum robur adeo insigne, ut ligamina et cingula quibus devinctus erat, dirumperet, ipsisque parabolanis cum audacia sese opponeret; nulla febris indicia, nisi excipias pulsuum velocitatem, a continua agitatione potius repetendam. — Fit venae sectio ad uncias decem; octodecim hirudines, partim pone aures, partim temporibus imponuntur; capillitio

abraso frigida epithemata admoventur; pro interno usu solutio salina cum Tartaro stibiato, et potiones acidulae seliguntur. — Per plures dies haec medendi methodus usurpatur, dosim Tartari emetici quotidie uno grano augendo, quin vel minimum adpareat emolumentum. Duo vesicantia ad suras, atque tertium ad nucham pariter nil opis ferunt. Die 15. morbi placatur delirium ferox, et agitatio; remanet tamen nugax desipientia, mente infinitis ac omni fere momento variatis objectis delusa; mania itaque in *moriam* conversa. Aeger decem grana Tartari stibiati sine vomendi conatu absumit; insuper frictiones cum eodem pharmaco juxta spinam dorsi fieri jubentur. — Die 13. mensis, quae erat 19. morbi, placidam mortem oppetit.

SECTIO CADAVERIS.

Dura meninx ossibus calvariae pertinaciter adhaerens; pia mater sanguine turgida; inter circumvolutiones cerebri aliqua coagula lymphae plasticae; in ventriculis lateralibus limpidi seri duae unciae cum dimidia; vena basilaris, et plexus choroidei multo sanguine scatebant; materiae coagulabilis particula ad basin cranii. Reliqua juxta naturae consuetum ordinem fuerunt.

EPICRISIS.

Quomodo levidenses ac mere immateriales causae, si diutius perseverant, incitationem vitalem exaltare valeant, praesens abunde edocuit casus. Continuata illa mentis intentio in juvene, quem natura pro longe alio fine, quam pro altiori rationis cultura destinasse videtur, perennem sustinere juvit encephali erethismum, quo posito major sanguinis copia superiora versus determinabatur, tantaque pedetentim provocabatur con-

gestio in vasis piae meningis, ut non solum functiones intellectuales perverterentur, ac voluntatis nisus impetuosus foveretur, verum etiam lethalis apoplexia succederet. Effusionem seroso-lymphaticam effectum incitationis arteriosae, citra normam auctae, fuisse, unusquisque intelliget. Agebatur proinde de *mania religiosa*, si morbi formam respicis; de *mania encephalo-symphoretica*, sive de *Meningitide secundaria sub schemate maniae*, si morbi naturam exprimere mavis.

HISTORIA SEPTIMA.

Tympanites intestinalis.

Vir robustus, 65 annorum, temperamenti irritabilis, jam ante biennium tympaniam perpessus est, e qua tamen sub usu remediorum purgantium, ut ipse ajebat, feliciter convaluit. Ab illo inde tempore colicis doloribus frequenter obnoxius erat flatulentia aut meteorismo stipatis, facile tamen repetito laxantium usui obtemperantibus. Die 9. Martii 1818, postquam panis male pisti et phaseolorum immodicam copiam summo mane, ac proinde ventriculo jejuno ingurgitaverat, abdominis molestissimam tensionem querebatur, cui confestim dolores colici, ructus, et borborygmi succedebant. Urgebat sitis, et virium languor, alvo jam ab aliquot diebus adstricta. A purgantibus salinis, alias constanter levamen ferentibus, nullum emolumentum habuit; neque pulveres e Gummi Gutta, Magnesia et elaeosaccharo Foeniculi conflati alvo reserendae pares fuerunt. Die 15. Martii, et 5. morbi nostrae committitur curae, periculi plenum exhibens statum. Caput erat liberum; lingua alba; sitis flagrans; spirandi difficultas; nausea; vomitus; ructus inodori, levantes; abdomen voluminosum, aequabiliter tensum,

durum, globosum, elasticum, tympani instar resonans, eandemque sub quovis corporis positu figuram conservans; tormina dirissima, per vices remittentia; alvus jam a septem diebus clausa; urinae parcae, naturales; membra macilenta; inquietudo et anxietas; pulsus citati, contracti, parvi, irregulares, intermittentes. — Scopo alvum aperiendi, flatus pellendi, et spasmum solvendi, infusum Sennae orientalis et seminum Foeniculi cum Manna et paucis guttulis Ammoniae purae, Calomelanos grana quindecim in tres doses divisa, clysteres oleosi cum sale, et *epithemata* frigida super abdomen, COMBALUSIERI consilio, suppeditabantur. — Die 6. morbi dolores intestinales tantisper conticuere; semel vomuit mucosa, et *porracea*; ructus inanes; abdominis tensio ut heri; nullus secessus; virium prostratio summa. Institimus *remediis* supra dictis; quum vero alvus nulla ratione auscultaret, mechanici adminiculi ope viam sternere decrevimus; quippe canulam elasticam longitudinis *sesquipedalis* ano introduximus, sperando obstaculum ab induratis scybalis positum forsan victurum fore. Et profecto, canula vix intrusa, ingens copia aëris foetidi cum impetu et fragore exivit, simulque faeces tenacissimae, velut argillaceae, muco cruento et *ascaride* lumbricoide commixtae, non sine aegri solamine secesserunt. Die 7. nox irrequieta; dolores colici vehementia majori excruciantes, abdominis intumescentia juxta intestinum coecum et colon transversum magis conspicua; nullae sedes; pulsus inaequales, *vermiculares*, debilissimi. Canulae elasticae ope iterum cietur secessus flatuum et excrementorum olidissimorum, quin tamen inde abdominis volumen consideret. Cum Hydrargyro miti uniuntur duodecim grana Gummi Guttae in tres doses divisa, intercalato Ricini oleo; immittuntur clysteres cum decocto foliorum Nicotianae, et

duo vesicantia internae femorum superficiei admoventur. Vesperi ingravescunt omnia mala; alvum obstinate reclusam neque canula immissa amplius reserare valet; morsus intestinorum per vices ita intensi, ut aeger ejularet, et volutaretur per lectum, extremis frigidis, vultu miserabili et desperabundo, ac ineffabili anxietate instantem crisin funestam indicans. Media nocte suffocatus obiit.

NECROSCOPIA.

Arctissima cohaesio inter duram meningem, osseamque thecam; levis exsudatio lymphatica super arachnoideam; piae matris et massae cerebralis vasa sanguine plena; in plexubus choroideis hydatides, illis penitus similes, quas jam in pluribus defunctis reperimus, ideoque pro vasculorum lymphaticorum varicibus habitae. In thorace nil abnormis, praeter vetustam concretionem pulmones inter et pleuram, a perpessis, ut videbatur, peripneumoniis relictam. Diaphragma fere in medium thoracis elatum pulmones inde in angustissimum spatium coacti. Peritonaeum atque interna superficies intestinorum coloris rubicundi, hinc inde lividi; intestina vero invicem conglutinata, adeoque expansa, ut pariete abdominali vix inciso foras protruderentur, maxime colon transversum et descendens, variis tamen in locis arctissime contracta. Praecipuae stricturae fuere inter duodeni finem et jejuni principium, ad insertionem ilei in coecum, in colo adscendente, inter colon transversum ac descendens, tandem ad curvaturam sigmoideam. Intestinorum anfractus citra morem contorti; tunicae incrassatae et callosae, ubi strictura locum habuit. Perpuncta quadam ansa intestinali, aër foetidissimus cum impetu prodibat; ast non considebat inde nisi ea sola,

ob sublatam cum aliis communicationem, qua de re ad omne gas elasticum educendum tot fieri debuerant puncturae, quot fuerunt tumidae portiones, stricturis invicem separatae. Dissectus tubus entericus crassus plurima scatebat sorde faeculenta, pultacea, tenacissima, grisea, argillae non absimili; intestina tenuia, praeter aërem, parum continebant de materie pituitoso-biliosa. In cavo abdominis effusio seri; omentum e suo positu remotum; ventriculus fere vacuus; cystis fellea valde turgida; reliqua viscera ut in sanis.

EPICRISIS.

Duo praesertim momenta ad aegri necem contulisse arbitramur; *suffocationem* utpote, atque *gangraenam intestinorum.* Priorem vindicarunt phaenomena, quae extremum comitabantur vitae agonem, nec non status pulmonum et diaphragmatis in cadavere deprehensus; alteram rubor et livor superficiei internae intestinorum, et insignis illa, quae per septem dies perstitit, parietum distensio. Ipsa excrementa intra tubum entericum diutissime retenta, atque magnum jam putredinis gradum adepta, secedentibus principiis mephiticis necessario systema nervosum pessumdare, et nisum in liquationem progignere debuerant. Hactenus de proxima lethi causa.

Quid vero dicam de medendi ratione usurpata, vel forsitan usurpanda? An quis nostram criminaturus est negligentiam, paracentesin intestinorum omisisse? An cuidam magis arrisissent venaesectiones, dilecta illa a pluribus medicis hodierni aevi panacea, ubicunque vel umbra irritationis adsit? — Qui rectam imaginem metamorphoseos pathologicae, essentiam tympanitidis constituentis, prae oculis habet, profecto nec unam, nec alteram somniabitur. *Phlebotomia* ad summum

initianti morbo opponi potuisset, neque aliud, quam mere palliativum praesidium suppeditasset, a quo tanto minus sperandum erat, quod congestio sanguinea minimos tantum vasorum surculos occupaverat, absente omni diathesi phlogistica, atque universali virium exorbitantia. Insuper status symphoreticus intestinorum a venaesectionibus nullum levamen cepisset, stante causa, quae illum produxit et fovit, mechanico utpote gas elastici et stercorum reclusorum stimulo. In hujus remotione unice consistebat omnis medelae rationalis scopus. — Quod vero adtinet *perforationem intestinorum*, acus triquetrae ope instituendam, uti nonnulli suaserunt, multo graviora renituntur argumenta. 1. Prae aliis determinari nequit locus pro paracentesi eligendus; etenim, licet abdomen aequabiliter tensum adpareat, nequaquam totus tractus intestinorum inflatus supponendus. — 2. Quocunque in loco immittatur acus, nulla aëri exitum parandi certitudo habetur; potest enim acus vel fortuito casu interstitio anfractuum immitti, vel super laevigatam intestini superficiem ita delabi, ut illud ne hilum offendatur. Ipsa intestina unacum reliquis visceribus in casu tympaniae plerumque e normali suo positu removentur; quam ob rem contingere posset, quod, qui colon inflatum perforare sibi proponit, anatomicis ductus cognitionibus, intestinum tenue, vel plane stomachum perforabit. Quis autem acum illuc immittere voluerit, quo non videret, nemo adhuc, monente acutissimo Morgagno, ex cautioribus Chirurgis inventus est. — 3. Aër elasticus nunquam per totum canalem entericum aequabiliter distributus esse solet, sed in singulis ditionibus, quarum una cum altera, etsi contigua, nullam habet communicationem, propter flexuras, compressiones, vel quod communissimum est, propter stricturas tunicarum. Hinc, posito etiam casu intestini perforati,

nonnisi portio aëris contenti educetur, reliquus vero tractus refertus manebit, nisi tot fierent puncturae, quot sunt loculamenta invicem separata. — 4. Quaeris vulnera intestinorum periculi sunt plena, etiamsi organon nulla prius labe fuerit infectum. Quid ergo sentiendum de vulnere intestini jamjam inflammati, summopere tensi, vel plane prima jam gangraenae rudimenta foventis? — 5. Quousque spes sanationis securiori via obtinendae affulget, nemo sanae mentis vitam aegri periclitabitur operationis genere infido summeque periculoso. Quodsi vero conclamatus fuerit rerum status, jam semper intestinis inhaeret aut paralytica atonia, aut funesta gangraena. — 6. Pertuso eum in modum intestino, ut saltem portio aëris elastici prodeat, contemporaneus exitus liquorum entericorum et foecum impediri nequit. Quaenam autem inde mala? Canulam acus triquetrae in vulnere relinquendo, consolidatio impossibilis erit; immo ex continuato ejus stimulo mechanico gravissima mala, et maxime gangraenae cita diffusio essent pertimescenda. Canulam contra extrahendo, sordium intestinalium ingressum in caveam abdominis nemo impedire poterit. — 7. Tympaniae resolutio nullo alio modo esset speranda, nisi reserata intestinorum via naturali, et amotis impedimentis; quod paracenteseos ope neutiquam obtinebitur. Sive igitur rationem, sive experientiam, sive placita valentissimorum Virorum, Claudini, Combalusieri, Zeviani, Morgagni, et Jacopii consulamus, paracentesin intestinorum in casu tympanitis nec prodesse posse, nec unquam profuisse constat; quare e foro praesidiorum therapeuticorum merito exulenda, atque solis Veterinariis relinquenda.

HISTORIA OCTAVA.

Hydrencephalus sub schemate Amauroseos.

Puella, undecim annos nata, gracilis, jam a mense Augusto 1817 crebris capitis doloribus divexari incepit, qui, mox ad verticem, mox in fundo orbitae oborti, remiserunt quidem per intervalla, ast ferme constantem carebariam, sensum pressionis in oculis ambobus, levemque stupiditatem reliquerunt. Languebant vires, et corpus pedetentim emacruit. Insensibili ratione et ipse visus minuebatur; micabant saepe ante oculos scintillae, intercurrentibus subinde macularum nigrarum spectris. Circa medium Januarium 1818 misella jam nil, praeter lucem et tenebras, distinguere potuit. Medicus accitus cathartico pulvere tres excussit lumbricos, quin tamen inde levamentum duxerit aegra, summo moerore oppressa. Die 2. Februarii Clinicam subit scholam. Caput indolens, sed grave; ejus temperies non aucta; plenaria mentis praesentia; nullus sopor, neque cataphora; oculi tantillum prominentes, non inflammati, nec tumidi; palpebrae mobiles; pupillae nigrae, dilatatae, nec a viva luce coarctandae; obtutus fixus; sternutamenta crebra; nullus pruritus ad nares; lingua alba; sitis permolesta; respiratio libera; abdomen molle; dysphoria et inquies; leves tendinum saltus in extremitatibus; pulsus parvi, contracti. — Decidere non sumus ausi, utrum haec amaurosis a lenta congestione sanguinea in meningibus, vel ab effusione serosa, vel vero ab alius generis vitio, nervos opticos comprimente, dependerit. Quare nonnisi summe indirectam proposuimus therapiam, resolventium et revellentium inprimis implorando opes. Praescribitur infusum Sennae cum Sale cathartico et Manna, Calomelanos granum unum bis de die, et duo Sina-

pismi pedum dorso admoventur. — Die 4. inquietudo summa; capitis gravedo; pruritus narium molestissimus; levis somnolentia; nullus ullibi dolor; amaurosis ne hilum emendata; gemitus, continuae querimoniae de infelici sorte, et flagrans desiderium salutis. Crescente probabilitate effusionis serosae in antris encephali, systema lymphaticum alacrius lacessire, atque diuresin promovere studuimus. Dosin Mercurii dulcis ad grana tria augendo, totidem de Digitali purpurea addidimus, intercalato florum Arnicae infuso; versus vesperas vesicans inter scutula operta adplicatur. — Die 6. vaniloquia nocturna; nares fuliginosae, prurientes; stridor dentium; trismus fugax; *carotidum* insueta vibratio; astasia; tremulae tendinum micationes; pulsus parvi, velocissimi, regulares; perfecta coecitas. Supra notatis remediis adjungitur unguentum *Mercuriale* griseum; retro aures et juxta tempora infricandum. — Die 9. coma cum levi desipientia *alternat*; nystagmus; sitis clamosa; tinnitus aurium; mycterocnesmus; urinae copiosae; vespertina febricula; reliqua ut antea. Urgentem sitim decoctum radicis Graminis cum Acido tartrico et Oxymelle fallit. — Die 10. manifesta hydrargyroseos indicia; quare abstinuimus a Mercurio dulci et frictionibus. — Postquam omnes salivationis et ulitidis mercurialis molestiae fuerunt ablatae, nullumque ex hac metasyncrisi secutum est levamentum, immo languoris et debilitatis symptomata indies magis invaluerunt, pulveres Digitalis *purpureae* cum Camphora, et infusum florum Arnicae cum Valeriana et spiritu Cornu Cervi copulari jussimus. — Ita continuatum fuit usque ad diem 26. qua setaceum nuchae adplicandum deliberavimus, promptae et perpetuae revulsionis gratia. — Die 3. Martii *nausea*; vomitus spontaneus; apositia; pondus ad scrobem cordis; alvus jam a biduo clausa. Non abhorruimus

ab emetico, cujus ope non solum sordes fortuito, vel secundario modo adcumulatas eliminari, sed etiam beneficam concussionem totius machinae inertis produci, persuasum habuimus. — Die 4. vomuit multam bilem herbaceam cum levamine symptomatum gastricorum, quin tamen status morbosus encephali fuerit mitigatus. — Die 6. denuo recurrimus ad nervina. Setaceum notabilem quotidie elicuit puris copiam. Per vices urget cephalaea obtusa; intuitus strabus; myïodeopsia; amaurosis completa; tremores artuum convulsivi; leipothymia transitoria. — Die 10. turbae nervosae, et maxime distentiones musculorum indies ingravescentes. Aegra balneo alcalino immittitur, indeque exeuntis artus cum Tinctura thebaica illiniuntur. Laudabilis convulsionum remissio. — Die 18. stupor et adiaphoria; vomitus; nystagmus et strabismus; oculi protuberantes; pupilla immobilis; brachii sinistri torpor ferme paralyticus. Praeter usum nervinorum internum, litus cum Spiritu vini camphorato, Ammonia pura, et Opio juxta brachium fiunt. — Increbescentibus turbis nervosis, die 23. Camphoram majori dosi, et floribus Zinci nuptam dedimus, recenti epispastico cervicem irritando. — Die 30. coma pene continuum; caput versus dextrum humerum obstipum; mentis emotio; spasmi clonici fortiores; oculus sinister semper versus canthum dextrum distortus, fixus. Camphora, Zincum, et mixtura analeptica e Valeriana et Naphtha nitrica alternatim propinantur, ast non semper ab aegra deglutiuntur. — Die 8. Aprilis deplorabilis jam status puellae; perpetuus a quatuor diebus sopor; facies hippocratica; oculi semiclausi, immobiles; trismus et stridor dentium; respiratio anhelosa et strepera; subsultus tendinum; resolutio sphincterum; decubitus plumbeus; sudores frigidi et

viscidi; pulsus vix percipiendi; filiformes. — Die 9 placida mora.

AUTOPSIA.

Diastasis ossium cranii, maxime ad suturam coronariam; ossa bregmatis tenuia, quasi transparentia. Durae meningis color coerulescens; sinus et vasa venosa piae matris sanguine atro referta. Remotis ambobus hemisphaeriis cerebri, centrum semiovale Vieussenii tantisper sublevatum erat, et manibus leviter compressum delitescentis subtus collectionis liquidae indubiam fidem fecit. Uterque ventriculus tricornis mirum in modum dilatatus, ac limpido sero scatens, cujus quantitatem ad sesquilibram aestimavimus. Crus Hippocampi dextrum suppurationis specie dissolutum; ejus massa mollissima, fusco-flavicans, semicorrupta, mediam inter pus et mel consistentiam ac indolem praebuit, in quibusdam punctis veluti caseosis granulis conspersa. In plexu choroideo ejusdem lateris dextri cystis serosa pisi magnitudinem aequans, de eodem nos commonuit phaenomeno, quod jam in pluribus extispiciis notavimus. Thalami nervorum opticorum, corpora striata, omnesque reliquae partes cerebri ad normae amussim. Super turcicam sellam tenax lympha, jam in pseudomembranas concreta, quibus χιασμὸς nervorum opticorum quasi irretitus erat. Ad basin cranii levis effusio serosa; magis conspicua ad infimam medullae spinalis extremitatem, quam caudam equinam appellant. Vasa venosa piae meningis per totum decursum medullae dorsalis dilatata et sanguine turgida. Pulmones illibati; cordis auricula dextra dilatata; aorta ascendens et carotides consueto ampliores. Viscera abdominis ut in sanis.

Qui insignem laticis serosi effusionem in cameris cerebri, exulcerationem pedis Hippopotami dextri, et concrementa lymphatica juxta originem nervorum opticorum prae oculis habet, sine negotio et amauroseos, et nervosarum passionum, et apoplexiae lethalis ortum concipere poterit; immo forsitan magis mirabitur tantam vitae tenacitatem, quam mortis casum. Longe majores autem difficultates inventurus est, qui mali nosogeniam enodare cupit. Plura equidem, et haud ambigua forent indicia, e quibus ad praecedentem lentae phlogoseos processum concludere liceret; quippe hypoclepsis serosa, coagula lymphatico-plastica, et suppuratio in massa cerebrali. Remotiorem vero ipsius phlogoseos occultae originem, atque funesti exitus rationem eruere vix concederetur, nisi quis ad hypotheses recurrere vellet; nullam enim circa causas procatarcticas et morbos praegressos notitiam colligere potuimus. Organica illa metamorphosis pedis Hippocampi, — quae, ut in massa cerebri passim accidit, pseudopyosin melliceridi analogam potius, quam verum apostema purulentum obtulit, — nos abunde convicit, conspicuas interdum longiori tempore in encephalo latitare posse degenerationes, vita superstite; dum aliis in casibus vel minimae deflexiones a statu normae lethum parant. Ratio hujus phaenomeni vix alibi quaerenda, quam in varia nobilitate partis, quae organici vitii substratum largitur. Nolo equidem singulis partibus massam cerebralem componentibus suam abnegare utilitatem atque praestantiam; eam vero neutiquam cunctis pari gradu competere, unusquisque lubenter concedet. Summae inter caetera dignitatis esse censeo centrale illud organon, quod nodi sub forma cunctas partes integrantes encephali invicem connectit, ac vinculum organico-

dynamicum inter instrumenta vitae vegetativae, et illi vitae sensiferae, inter sphaeram gangliarem, medullarem, et supremum aestheterium praebet, passim nomine *pontis Varolii*, seu *protuberantiae annularis* notum. Ibi fibrillas medullares infinitas e medulla oblongata e pedunculis cerebri et cerebelli, ceu conductores varii generis impressionum et emanationum, concurrere, semet decussare, ac invicem confluere, Cel. Vicq d'Azir, Loder, et Gall indubiis pervestigationibus demonstrarunt, ut adeo arcum constituant, qui fante summo Reilio, catenam adparatus electro-motorii claudit. Ibi ortum ducit par nervorum trigeminum, quod merito tanquam sphaera gangliaris capitis considerari potest. Ibi scaturiunt nervi plures, quorum nonnulli *per se* gubernandis gravibus muniis inserviunt, alii encephalon cum nervo sympathico magno uniunt, uti *nervus abducens*, facialis, glossopharyngeus, vagus. Ipsa provida natura hanc partem praestantissimam cerebri, omnis vitae centrum, in penitissima calvariae latebra recondidit, eamque tali pacto ab injuriis externis magis tutam esse voluit. — Auctorum, qui de anatome pathologica scripserunt, opera pervolvendo, non contigit mihi, ut quemdam invenirem casum apostematis, aut ulceris in ponte Varolii delitescentis; ubi ex adverso plura obvenerunt exempla suppurationis in hemisphaeriis cerebri et cerebelli, in corporibus striatis, in thalamis *nervorum* opticorum. Si autem vita tanto temporis intervallo perdurare potest, quale pro formatione abscessus, aut ulceris requiritur, omni jure ad minorem partis adfectae necessitatem concludere fas est; secus flamma vitalis extingui deberet, antequam processus suppuratorius sui perfectionem adtingat. Hanc ob rationem, praesenti casui innixi, pedem Hippocampi unam e minus praestantibus cerebri partibus esse arbitramur; perspecta enim morbi diuturnitate, exulce-

rationem, quam invenimus, a longiori jam tempore delituisse, suspicandum erat. Ipsa tandem doctrina de nervorum chiasmo, et adfectionibus nervosis cruciatis enarrato casu recentem adepta est confirmationem; quatenus ulcus in latere dextro fuit, passiones nervosae praecipuae autem, uti strabismus, convulsiones, et paralyses, in sinistro latere observabantur.

HISTORIA NONA.

Erysipelas idiopathicum faciei, in Meningitidem metastaticam versum.

Textor, 23 annorum, gracilem et infirmum a natura sortitus corporis habitum, jam a teneris unguiculis frequentes, variasque perpessus est aegrotationes, febres intermittentes pervicacissimas, peripneumonias, erysipelas nunc ad faciem, nunc ad crura, quibus adde cephalaeam habitualem, et physconiam splenicam a multis annis perennantem. Die 27. Martii 1818, postquam incautus aestuante corpore auram frigidam excepit, derepente inhorruit, capite praeter morem doluit, postmodum aestuavit, atque sitivit. Versus hesperum recens invadit horripilatio; intumescunt genae et auriculae cum ardoris sensu; ad concubiam usque noctem febrilis urget calor. Subsequente die epistaxis oboritur larga cum aliquo emolumento; a meridie tamen rursus excandescit febris, increbescente faciei tumore erysipelaceo. Die 29. recurrit stillicidium cruentum e naribus; symptomata febrilia, et illa erysipelatis eodem tenore progrediuntur. Die 30. mensis, 4. morbi, sequentia observantur. Tumor inflammatorius, elatus, coloris phoenicei, phlyctaenis conspersus, totum occupat vultum atque frontem; palpebrae tumidae gramiis

invicem conglutinatae; mentis torpor; lingua sicca, nigra; thorax absque labe; lien monstrosus hypochondrium sinistrum et epicolicam regionem explet; peticulae in pectore, jugulo, et brachiis copiosae, urinae jumentariae; calor urens; cutis aridissima; pulsus veoces, subduri, pleni, irregulares. — Secatur vena; linterne propinatur decoctum Althaeae cum roob Sambuci et Sale amaro, decoctum Hordei cum Oxymelle pro potu; faciei tumidae admoventur sacculi e farina Fabarum et floribus Sambuci confecti. Vesperi delirium improvisum, quod fluente e naribus sanguine post bihorium componitur; levis oblivio sui ipsius, atque indifferentia animi; respiratio anxia; febris exacerbata. Sanguis recenter emittitur ad uncias decem, atque duo Sinapismi dorso pedum admoventur. Noctu recrudescit delirium. — Die 5. morbi sub auroram levis remissio; caput grave; erysipelaceus tumor notabiliter imminutus, rubor obsoletus, phlyctaenae exsiccatae, tensio molesta in cervice. Vesperi vaniloquium continuum, intercalato stupore; cutis et lingua siccissima; calor mordax; pulsus vibrantes; sanguis extractus parum crustae offert. Fit tertia phlebotomia; potioni additur tantillum Nitri, et suris duo admoventur vesicantia. — Die 6. eadem symptomata, ut heri, gradu tamen insigniter aucta; caput eum in modum obrutum, ut apoplexiam omni momento minaretur. Persistente charactere morbi phlogistico et urgente congestione sanguinolenta quartam ordinavimus venaesectionem, atque largum vesicans ad nucham. — Die 7. morbi mors apoplectica.

NECROSCOPIA.

Cutis superficies latis maculis peticularibus foedata; sinus cerebrales et vasa piae matris atro sanguine

farcta, ac si arte injecta fuissent; seri limpidi copia, libram pharmaceuticam facile superans, partim in ventriculis cerebri, partim ad basin cranii, tota superficies arachnoideae gelatinoso humore obducta. Adhaesiones inter pulmones et pleuram; pericardium aquoso latice scatens; posteriores pulmonum lobi atro cruore pleni, quin tamen compages fuerit vitiata. Lien enorme totam abdominis plagam sinistram, a diaphragmate usque ad cristam ossis ilei, et antrorsum ad umbilicum, occupavit, ponderis 110 unciarum, coloris griseo-coerulescentis; pars parenchymatis in massam fracidam, atrorubram, absque ullo puris vestigio, conversa; capsula splenis membranacea pluribus in locis cartilaginea. Hepar pariter monstrosum, 108 uncias ponderabat, texturae et consistentiae prorsus normalis. Intestina contracta et compressa.

EPICRISIS.

Apoplexiam cruento-serosam mortis causam proximam fuisse, e symptomatibus, morbi decursu, et sectione cadaveris facile intelligitur. Ejus ortum e funesta erysipelatis metachoresi explicavimus. Processu nimirum inflammatorio dermatis in sui evolutione regulari praepedito, vicariae et analogae reactiones in meningibus, et speciatim in arachnoidea obortae fuere, quibus incitatum munus vasorum exhalantium serosam effecit hypoclepsin, ceu ordinarium orrhymenitidis exitum. Concepimus itaque ideam de *Meningitide metastatica*, seu aptius *metachoretica*, et *secundario Hydrencephalo acuto*. Remotiores causas decursus anomali, atque colluviei serosae adeo praecipitanter obortae indagaturis, adtentionem effugere nequivit prava organismi a multis malis perpessis conditio, et ingentia illa viscerum parectamata, quibus omnibus systema

lymphaticum necessario in statum languoris et inertiae conjici debuit; demum habitualis cephalaea, quae caput prae aliis organis ad morbosas reactiones disposuit. Nulli subjacet dubio, rationem mortis in nostro juvene mere subjectivam fuisse, idest, morbum, cui succubuit, neque vehementia, neque extensione, neque malefico quodam ingenio, sed unice ea propter, quod in subjecto male disposito decurrit, lethalem evasisse. Petecchiae, jam a primo erysipelatis exordio observatae, merum symptoma accidentale constituebant, cujus ortum ex inveterato vitio lienis, et levicula diathesi scorbutica comite concepimus.

HISTORIA DECIMA.

Tetanus traumaticus.

Faber murarius, 44 annos natus, satis robustus, secunda semper gavisus est valetudine, si excipias gravem contusionem dorsi, quam ob casum ab alto ante octo annos sustulit. In Nosocomium tunc deportabatur omnibus sensibus privus, post duas hebdomadas denuo domum reversus. Ab illa tamen epocha pristinum suum robur non est amplius adeptus; quotiescunque enim vel minimae aëris vicissitudines contigerint, doloribus juxta dorsum et lumbos excruciabatur. Nauci fecit haecce incommoda levidensia, qualia saltem ipsi videbantur, suum continuo exercere pergens opificium. Die prima Maji 1818 dentem molarem mandibulae inferioris carie arrosum, qui per plures dies dirissima proritabat tormenta, sibi evelli curavit. Nullum sub operatione, vel post eam accidit malum, si excipias sanguinis stillicidium e viduo alveolo, quod trium dierum spatio perstitit, per intervalla cohibitum, iterumque repullulans. Die 5. conticescit sanguifluxus al-

veolaris, oborto sensu tensionis ingratae in maxillis et musculis faciei. Die 6. maxilla inferior superiori per vices involuntarie adprimitur, ita ut os ad libitum aperire nequiverit, nisi illa contractio spastica sua sponte remiserit. Pari tempore jam difficulter deglutiebat, et non sine dolore. Die 7. distentiones molestae cervicem, dorsum, et suras pervadebant, maxillis longiori jam tempore invicem collidentibus. Die 8. contractiones spasticae non solum ad majorem musculorum numerum extendebantur, verum etiam magis permanentes fiebant. A quatuor venaesectionibus generosis et purgantibus mixturis nullum habuit solamen. Die 9. mensis, et 5. morbi in Clinicam palaestram delatus, tristem omni intuitu exhibuit statum. Tetanum holotonicum prae oculis habuimus. Caput erat liberum, et mens sui perfecte compos; mandibularum talis collisio, ut nonnisi summo cum conatu aridum linguae apicem intra dentes protrudere potuerit aeger; molesta oris et faucium siccitas, cum siti flagrante; respirandi quaedam difficultas, et angor, ob impotentiam spiritum profundiorem adtrahendi; prelum abdominale assis ligneae instar durum; mentula flaccida; rigor musculorum nuchae, dorsi, lumborum, et coxarum, intercurrentibus per intervalla contractionibus et succussionibus violentioribus, dolorosis, trunco posteriora versus incurvato (opisthotonus); musculi brachiorum duri, ad arbitrium tamen movendi; sensus formicationis et torporis a cervice ad coccygem percurrens; sudores profusi, inodori; alvus morosa; pulsus vix frequentiores naturalibus, duri, contracti. — Remediis antiphlogisticis hactenus incassum tentatis, nullaque ultro indicatione, quae eam juberet, perspecta, methodi antagonisticae et metasyncriticae opes implorare decrevimus, intime persuasi, hac nihil opitulante, oleum et operam perditam esse. Interne octo grana

Calomelanos spatio nycthemeri consumenda; frictiones cum unguento neapolitano juxta artus et dorsum generosa manu instituendae; infusum Sennae cum Arcano duplicato ad alvum jam a triduo clausam aperiendam; emulsiones nitratae, et duo vesicantia suris imposita; en, quae sub ancipiti rerum conditione ordinavimus. Post meridiem aeger balneo tepido, quo spasmus et rigiditas solveretur, impositus est. — Die 10. mensis, 6. morbi per vices inter verba desipuit aegrotans; trunci et artuum rigor tantillum imminutus. Praeter hesterna praesidia, quatuor grana Opii cum Mercurio dulci partitis dosibus subministrata fuerunt. — Die 7. morbi omnia in pejus ruunt; crescit tetanica musculorum rigiditas; trismus completus; respirium summe anxium; cordis et arteriarum pulsus tardi. Repetuntur cuncta medicamenta; aeger lixivioso immergitur balneo. — Die 12. mensis, 8. morbi; transitoria mentis emotio, alienorum mussitatio; agrypnia; tetanica musculorum distentio vix non auctior; miliaria rubra profusissimis sudoribus extricata; venter purgantibus solutus; nulla salivationis vestigia, licet 24 grana Calomelanos, et sex drachmae unguenti neapolitani suppeditata fuerint; pulsus lenti, duri, pleni. — Hora tertia pomeridiana aeger mentis plene compos inter confabulationes subridendo obdormivit, nunquam evigilaturus.

EXTISPICIUM.

Specu dorsali naviter reserato, plurium unciarum copia seri limpidi inter meningem duram et arachnoideam inventa fuit, eo quidem loco, qui primis quatuor vertebris lumbaribus respondet; huic liquori cauda equina, in infinitos ac mire complicatos fasciculos resoluta, innatabat; piae meningis vasa hinc inde turgida et varicosa. Portio inferior musculi sacro-lumbalis ec-

chymosin inveteratam exhibuit; ejus textura ad pultaceam potius, quam fibrosam accedebat. An residuum contusionis ante plures annos perpessae, an vero recentis? — In encephalo nil abnormis. Pulmones integri; sed turgidi; cor flaccidum, pallidum, sanguinis expers; vasa majora atro cruore ac dissoluto scatentia; nullum coaguli vestigium. Diaphragma praeter morem tensum. Viscera abdominis ut in sanis. Musculi tetano correpti suam conservabant rigiditatem, nec tensionem amittebant, etsi plures lacerti carnei discinderentur; coloris erant pallidi.

EPICRISIS.

Quamquam nullus negare ausim tetanum quandoque merum symptoma Notaeomyelitidis esse; neutiquam tamen applaudere possum sententiae quorundam neotericorum, qui in quovis tetano phlogosin medullae spinalis subesse defendunt. Praesens casus non minus, quam plures alii sedulo observati, hanc opinionem omni ex parte corroborarunt. Contusionem ante octo annos perpessam certe nemo pro causa procatarctica declarabit; ea ad summum nonnisi proëgumenon praebuit momentum. Unica prophasis, quae innotuit, erat evulsio dentis; haec vero per quantum violenta sit, vix unquam adeo potentem sistit stimulum, ut concipiendo ortui myelitidis sufficeret. Insuper nulla comparuerunt symptomata, quae praesentiam phlogoseos indicassent; nulla febris; sanguis dissolutus et ater; pulsuum durities et plenitudo rigidae contractioni arteriarum et sanguinis circuitui per pulmones impedito potius, quam dyscrasiae inflammatoriae et orgasmo tribuenda Venaesectiones nullum emolumentum tulerunt; neque in aliis casibus medendi methodum sanguinariam feliciori eventu coronatam vidi. In cadavere

demum nihil obvenit, quod statum phlogoseos in medulla spinali supponere sineret, nisi quis praematuro judicio varicositatem vasorum piae meningis pro inflammatione, ac serosi laticis praesentiam pro ejus effectu declarare vellet. — Nihilosecius quemvis tetanum *morbum hypersthenicum* esse, persuasum habeo. Quaeso tamen, ut hypersthenia a phlogosi solerter distinguatur; haec enim ad illam se habet uti species ad genus, unde quaevis phlogosis hypersthenia supponit, nequaquam autem versa vice. Inflammatio est processus pathologicus autonomus, qui unice systemati vasorum sanguiferorum competit, a nervis gangliaribus gubernato. Ergo adparatus motorius automaticus, sanguinis circuitui dicatus, materiale *largitur* substratum, atque efficientia ei insita, irritabilitas utpote organica, suppeditat, ut ita dicam, *substratum* ideale. Tetanus ex adverso est morbus musculorum voluntariorum, quorum irritabilitas (animalis) a sphaera nervosa altiori, et speciatim a medulla *spinali* regitur. Quemadmodum gravissima phlogosis medullae ipsius, aut cerebri vigere potest, quin ulla *tetani* vestigia adpareant; ita e converso saevissimus musculorum rigor possibilis erit, absque irritatione in systemate vasorum sanguiferorum ejusdem medullae spinalis, *vel* cerebri, dummodo cum illa non confundantur secundarii turgores vasculorum, qui nullibi deficiunt, ubi vividior actio. Impossibilis vero foret casus tetani, si efficientia medullae spinali insita, quae musculorum arbitrio subjectorum contractiones etiam in sano *statu* determinat, praeter normam non esset incitata. Praesente tetano medulla spinalis, unacum nervis inde scaturientibus, et musculorum lacertis in eodem versatur statu dynamico, qui sub contractionibus voluntariis locum habet; ea solum differentia, quod *musculorum* contractio tunc sit permanens, citra volun-

tatem oborta, nec ad libitum solvenda. In tetano proinde nexus reciprocus inter cerebrum volens, et medullam spinalem moventem est sublatus. Functio, quae in homine sano unice ab arbitrio dependet, in homine tetanico ab influxu encephali gubernantis emancipata adparet. Essentia tetani itaque statui potest in efficientia motoria sphaerae medullaris (quae a centrali et regente organo versus peripheriam actuosa fit, indeque distinguitur ab efficientia sensifera, quae contrariam in sui manifestatione observat directionem, videlicet centripetam, a corporis peripheria versus aestheterium) eum in modum intenta et exaltata, ut autocratica veluti potestate adepta, encephali gubernio sese subducat. In statu paralyseos analoga quaedam inter facultatem motricem et sensorium commune viget relatio, polis tamen inversis; prior enim posterioris jussui non auscultat, vel propterea, quod intercedente offendiculo libera communio sit sufflaminata, vel quod medullae spinalis, nervorum inde manantium, vel musculorum efficientia sit exhausta. Tetanicus musculos invite contractos nequit ad libitum relaxare; paralyticus contra musculis relaxatis contrahendis impar est. Ex hisce jam inductionibus quilibet absque negotio intelligere poterit, tetanum semper statum hypersthenicum medullae spinalis et irritabilitatis ei insidentis, paralysin contrarium supponere. Tetanus asthenicus, seu quod idem est, contractio ex debilitate, et paralysis hypersthenica, seu relaxatio ab excessivo robore non minus male sonarent, ac circulus quadratus, vel frigus calidum. Casum paralyseos musculorum voluntariorum, quae cum hypersthenia systematis sanguiferi incedit, unusquisque explicare valebit, cui ignota non sunt praecepta et dogmata pathologica debilitatis spuriae e viribus suppressis.

Id genus principiis, circa tetani essentiam et substratum, innixi, non spernimus equidem medendi methodum antiphlogisticam; eam vero insufficientem, et si limites excedat, plane damnosam existimamus. Remedia antiphlogistica, quod ipsum nomen indicat, phlogosin impugnant, ergo eminentes virtutes ad systema vasorum sanguiferorum extendunt. Hoc autem in tetano vel prorsus immune esse, vel modo mere secundario et symptomatico pati, e supradictis liquet. Quapropter ad illa quoque recurrendum est medicamina, quae electivam super systema nerveum et musculare exerunt actionem, ac prae caeteris contractivi factoris (*in tetano praedominantis*) energiam infringunt. Haec inter referuntur omnia narcotica simplicia, non acria; eminet Opium, ejusque alternans usus cum Alcali vegetabili. Ast proh dolor! his indicationibus, licet a ratione petitis, sonticum malum plerumque reluctatur; *quare* ad illam summe indirectam medendi methodum recurrere oportet, cujus efficacia quidem e *vigentibus in* organismo vivo legibus sympathiae et antitheseos quodammodo concipitur, adamussim vero illustrari nondum quivit: intelligo methodum antagonisticam et metasyncriticam. Huic indicationi Mercurium magnis dosibus administratum, ut tumultuaria et profusa *salivatio* inducatur, adprime satisfacere, variis observationibus compertum habuimus. Quodsi plenariam saturationem organismi efficere contingat, antequam fatalis lues irreparabiles induxit effectus, aegrum vix non semper salvum vidimus. Necessarium igitur, ut cura *mercurialis* morbo inchoante sine ulla mora adhibeatur. An Mercurius metallica sua indole beneficam quandam metallaxin in processu zoo-electrico determinet, decidere non auderem, utut suspicio neutiquam omni careret fundamento?

Quod proximam adtinet causam mortis in aegris tetano enecatis, medicorum opiniones inter se digladiantur. Veri maxime similis mihi videtur *suffocatio ex tetano diaphragmatis;* neque desunt argumenta, quae eam suffulcirent. Cuncti aegri difficulter respirant, thorace parum mobili, ultimis vitae momenti plene immobili; unde ineffabilis illa anxietas cum metu suffocationis omni momento instantis. In cadaveribus nulla invenitur pulmonum labes; ergo istorum nulla esse potest culpa. Ratio potius suadet, ut supponatur, adfectionem morbosam medullae spinalis ad nervum phrenicum inde oriundum propagari, talique pacto, praeter musculos plerosque trunci et artuum, illos quoque respirationem perficientes, quos inter diaphragma primum occupat locum, in morbosum consortium trahi. Licet septum transversum consuetudinis lege citra omnem voluntatis influxum moveri soleat, ideoque uno intuitu musculis automaticis accenseri debeat; nihilominus alio intuitu organon praebet arbitrio subjectum, quatenus in suis motibus ad libitum accelerari, retardari, et prorsus inhiberi potest. Inde quivis intelliget, diaphragmatis, a medulla spinali mediante nervo phrenico gubernati laesionem oriri debere, ubi ipsa medulla, ceu organon centrale motuum voluntariorum graviorem labem contraxit. Risus ille sardonius, quem aeger noster in extremis suae existentiae obtulit, nonne manifestum diaphragmaticae contractionis indicium?

HISTORIA UNDECIMA.

Helcosis scrofulosa, in hydropem mortiferum versa.

Iam plures ante annos puerculus 7 annorum eundem perpessus est morbum, cujus gratia die 13. Apri-

lis 1818 a sollicitis genitoribus in Scholam nostram deportabatur. Habitus aegri κατ' ἐξοχὴν scrofulosus erat, ita ut neque unum ex illis, quae in Nosographiis passim exponi solent, symptomatibus deficeret. Faciei leucophlegma; glandulae colli tumidae, durae indolentes; oculi lippi; palpebrarum margines tumidi et excoriati; conjunctiva utriusque bulbi rubicunda; levis intolerantia lucis; phlyctaenae et ulcuscula super corneam oculi sinistri; nares oppilatae; cacoderma in labiis, pectore et dorso, quippe crustae largae, crassae, inaequales, friabiles, coloris partim straminei, partim fusci, hinc inde papulis et squamis interstinctae, in complexu ad eam formam accedentes, quam Cel. Willan *impetiginem sparsam* vocat; crustis illis emollientium ope ablatis exulcerationes cutis vastae, planae, lardaceae, multum humoris glutinosi plorantes patebant; levis marcor membrorum; febricula vespertina; caeterum nil morbosi. — Medelam exorsi sumus a decoctis amaro-solventibus radicum Taraxaci et Cichorei cum Sale medio nuptis, a fomentis emollientibus, ut separatio crustarum promoveatur; collyrio Conradii prospeximus ophthalmiae. Plagas exulceratas et a crustis jam privatas unguento simplici cum pauxillo Cerussae deligari curavimus. — Post plures dies ad Aethiopem antimonialem, ac demum ad Muriatem Barytae in decocto stipitum Dulcamarae et Putaminum Iuglandis solutum transivimus. Collyrium resolvens vero cum leniter stiptico, e Lapide divino confecto commutari debuit, cum ulcera lardacea corneae indies profundiores egerint radices. Licet dosis Muriatis Barytae a granis octo pedetentim usque ad scrupulum unum elevaretur, vicibusque intercalatis decoctum Chinae cum extractis amaris, et aromaticis tincturis suppeditaretur, pertinax labes nullum emolumentum cepit; immo vires vitales, et processus nutricius notabiliter

jam cadebant. Cacoderma ulcerosum in uno loco cicatrices contraxit, in alio recentes moliebatur ruinas, ad conterminas serpendo partes, quamobrem solutum in aqua Muriatem Calcis pro usu externo seleximus, Ophthalmia interim dissipabatur. — Tali ratione curam patienter conduximus per quadraginta dies, animo spem inter et metum fluctuante. Sub finem mensis Maji inexpectata oboritur euphoria; adpetitus redit et unacum illo corporis macies corrigitur; ulcera per dorsum et pectus sparsa cicatrice obteguntur, et quidem passu adeo rapido, ut nostram excitarint admirationem. — At, hebomada vix transacta, speciosam tantum, atque subdolam fuisse emendationem, oborta recens malorum caterva evicit. Intumuerunt quippe extremitates inferiores albo et frigido phlegmate, abdominisque volumen raptim increscens indubium dedit effusionis serosae testimonium. A pharmacis hucusque usurpatis abstinendo, ad aperientia, diuretica, et amara recurrimus. Radix Ononidis et Squillae, extractum Graminis, Terra foliata tartari, Digitalis, aliaque hujus furfuris medicamenta periclitati sumus, non neglectis vesicantibus. Sprevit morbus nequam artis opem; hydropisis catholica indies increbuit; ruerunt vires, et die 12. Junii suffocatus periit puer.

AUTOPSIA.

Cavum pectoris tres circiter uncias serosi liquoris continebat; pleura hinc inde pulmonibus adhaerens, in toto ambitu leucophlegmate tumens, discissa laticem seroso-glutinosum dimittebat, quo textus cellularis farctus erat; dexter pulmo pariter oedomate turgidus, laevus normalis; glandulae bronchiales volumine valdopere auctae, durae. Cor et pericardium ab omni labe immunia. Glandulae meseraicae totidem praesenta-

bant tubera globosa, admodum dura, magnitudine variae, a nuce avellana ad illam juglandis, nonnulla steatomatosa. In tenuibus intestinis plures lumbrici, copiosa et tenacissima obvoluti pituita. Abdominis antrum ingenti seri copia inundatum. Reliqua viscera sanorum ad normam.

EPICRISIS.

Consideratio nosogeniae, substrati, et naturae morbi tutissimam sternit viam pro medela recte instituenda non minus, ac pro exituum, et metamorphosium secundariarum rationibus intelligendis. — *Processus organico-plasticus* in qualitate perversus, et specialis lymphopoësis prava, metamorphosis progrediens eo intuitu imperfecta, quod materies nutriens *ad potentiam* fibrinae evehi, et crystallisari cunctatur, ideoque in inferioribus tantum evolutionis animalis gradibus, glutinis videlicet, et albuminis, consistat, unde *pachychymia*, plethora lymphatica, polyblennia, atque solidorum atonia, — praecipua constituunt *momenta*, e quorum concursu specifica illa emergit cacotrophia, quam *scrofulam* nuncupamus. Quemadmodum *plasticitas* organica nonnisi per gradarias evolutiones ad illud perfectionis culmen evehitur, quod homo adultus et consummatus offert, infimum vero materiae *organico*-animalis prototypum gluten, altiorem albumina, et supremum fibrina praebet; ita primum in *aetate infantili*, altera in puerili, atque tertia in juvenili et virili exsuperat. Quotiescunque character organicus singulis aetatibus proprius, sub influxu injuriarum *externarum* altiorem adipiscitur potestatem, processus reproductivus particulares inde contrahit labes, cum evolutionibus progressivis intime correspondentes, iisque solis proprias, quas in primordio et quousque germen

occulte delitescit, *diatheses climactericas*, dum vero manifestis laesae salutis signis in apricum proferuntur, *morbos climactericos* compellamus. Hos inter *rhachitis* aetati infantili, praedominio glutinis, — *scrofula* pueritiae, exsuperanti albumini, — *phlogosis* juventae et virilitati, perfectiori evolutioni fibrinae correspondet. Inest jam in tenerrimo infante idoneitas altiores climacterum phases et absolutiones subeundi, proinde etiam metamorphoses morbosas eis privas contrahendi. Si vero processus evolutionis organicae altiori in gradu constitutus est, regredi et ad inferiores relabi amplius nequit. Hinc infantes scrofulam, eosque pariter ac pueros inflammationes subire quidem videbis; ast rhachitidem in pueris, scrofulam in adultis ortam nunquam observabis, nisi germen, jam in aetatibus praecedentibus positum, dolose delituerit, sub concursu circumstantiarum faventium tardius evolutum.

Posito igitur, scrofulam universi processus organico-formativi morbum esse, in penitissima vitae vegetativae officina radicatum, nemo mirabitur funestas sequelas, quas moliri consuescit, altiorem gradum nequitiae adepta. Sunt autem metamorphosium, quas producit, plures species, eaeque ut plurimum organico-materiales, cum vegetatio prae incitatione laboret. Foeda illa helcosis, quae nostrum puerum deturpavit, nil nisi effectus ejusdem cacoplasmatis scrofulosi fuit. Redundans lympha, propriis alveis retineri nescia, simili pene ratione per cutem exsudabat, prouti gummi ex arboribus succi plenis stillatim promanare solet, in cortice externo varias producendo turpitudines, tubera, incrustationes, etc. Laticem e cutaneis plagis secedentem potius lympham glutinosam, quam purulentam aut ichorosam materiam fuisse, colligimus ex ejus colore stramineo-flavo, ex cito coalitu in crustas densas et tenaces, e blanda, viscida et inodora qualitate. Generalem collu-

viem serosam, et maxime oedema pleurae et pulmonum lethi causam proximam fuisse, nemo non videbit. Ejus autem ortum determinavit partim prava conditio systematis lymphatici, maxime glandularum mesentericarum et bronchialium, partim improvisa suppressio inveteratae secretionis in cute. Quamvis in hocce casu ab omnibus sedulo caverimus medicamentis, quae practicis exsiccantia, sive stiptica nominantur; ipsamque curam purgantibus, solventibus et vesicatoriis ordiri non praetermiserimus; nihilominus tristi eventu edocti fuimus, medicum in reprimendis secretionibus diutinis nunquam satis cautum esse posse.

HISTORIA DUODECIMA.

Febris biliosa maligna in femina, quae pro obsessa habebatur.

Villica, 18 annorum, temperamenti irritabilis, compagis sat robustae, a tenerrima juventute arthriticis excruciabatur doloribus, per quinque annos omni fere mense recurrentibus. Ab hisce tormentis derepente et sine causa cognita liberabatur; at postmodum evoluta est cephalalgia periodica, menstruo pariter adstricta typo, quae, postquam quatuor vicibus recurrebat, sua sponte evanuit, non amplius reditura. Nullas pariter sequelas manifestas reliquit febris quartana ante biennium perpessa, solisque naturae viribus devicta. Exeunte mense Februario 1818 a campestribus laboribus domum redux, praedonis a tergo invadentis causa tanto percellitur terrore, ut eum per plures dies e venis expellere nequiret. Pari tempore animum puellae conflictat iniqua malitiosae novercae tractatio. Mense Aprilis inter duos procos, quorum primum, juvenem et for-

mosum, vehementer amabat, alteri, quadragenario viduo hymenaeis vinculis jungi cogitur. Post duos a matrimonio menses prima vice Lunae tributum pandit, sanguine per hebdomadam jugiter profluente. Sub finem mensis Maji multifariis exercetur turbis hystericis, gulae constrictione spasmodica, lumbagine, doloribus colicis, atque libidine insueta, quibus cunctis ab accersito Medico pulveres anthelminthici opponuntur. Increbescunt vero molestiae, iisque violentissimae accedunt convulsiones, mente per vices emota, ac in furorem acta. Defertur in Nosocomium, ibique intra paucos dies convalescit. Ast propriae domus limen vix subiens, maleficus veluti daemon eam invadit; dirissimis enim denuo corripitur convulsionibus, toto hysteriaseos satellitio comitatis, atque sine regula pluries in die recurrentibus. Perspecto, in quo versabatur, periculo, exomologesi animam a peccatorum sordibus purgare cupit; Sacerdote autem vix decedente manifestissima jam prodit mentis alienatae indicia. Mox enim taciturna et meditabunda fixis oculis objectum qualecunque ei obvium intuetur; mox locutionibus inconcinnis, verbis mysticis, gestisque variis adstantium adtentionem excitat, res manibus prehensas astute abscondit, nummos clandestine deglutitos vomitu rejicit, vaticiniis, aliisque praestigiis daemoniacae instar se gerit. Non defuit, piget sane fateri, superstitiosus Sacerdos, qui feminam obsessam declaravit, solemnibusque exorcismi ceremoniis coram plebe factis cacodaemonem expellere tentavit, reliquiam S. Petri aegrae offerendo. Quale autem praesidium, talis fuit eventus. Feminam in eodem alienatae mentis statu perseverantem die 1. Julii ad Nosocomium deportabant, unde in Scholam clinicam fuit translata, ac publico sub examine sequentem obtulit imaginem. Capitis aestus et dolor obtusus; mens sui plene compos; animus demissus, responsum tardum; pupilla dilatata;

sapor oris amarissimus; lingua sordida, et flava; anorexia; sitis clamosa; respirium liberum; levis dysphagia; nausea; vomitus spontaneus; ponderis incumbentis molestissimus sensus ad scrobem cordis; abdomen inflatum, spasmodice subsiliens; ardor intestinus ad regionem uteri; myrmekismus in lumbis; tenesmus ad vulvam; artuum dedolatio et languor universalis; catamenia, postquam per quinque dies copiose fluxerant, suppressa; alvus non morigera; calor animalis urens; cutis arida; pulsus fortes, pleni, veloces. — Febris biliosa principem postulavit respectum, comes hysterismus mere secundarium; qua de re solutionem Tartari emetici, et potum refrigerantem cum succo Citri praescripsimus, metopiis gelidis calorem capitis temperare studentes. Ob gravem exacerbationem febrilem vesperi subortam vena pertusa fuit. Noctu levans vomitus materiae biliosae prasinae secutus. — Usque ad septimum morbi diem regularis erat decursus, nullisque perturbatus symptomatibus, quae sinistri exitus metum incutere potuissent; immo turbae hystericae fere ex integro siluerunt, leves abdominis subsultus si exceperis. Praeter decocta amaro-solventia cum Sale medio, et potus acidos nil dedimus. — Ast eadem die septima sub vesperam jactitare se coepit, desipere et vociferare; per totam somnum capere non potuit noctem; cutis erat aridissima, calor mordax, pulsus debiliores. Ordinavimus pulveres nervinos e dimidio grano Camphorae, et duo vesicantia ad suras. — Die 8. jam plurima characteris nervosi viriumque languoris improvise evoluti phaenomena in propatulum veniunt; desipientia cum stupore alternans; carebaria; lingua adeo arida, ut frustulum carnis assae credidisses; nares fuliginosae; tremor labiorum; oculi pulverulenti; meteorismus; alvus clanculum secedens cum quatuor lumbricis; calor urens; pulsus exilissimus, filiformis. Mi-

cantem vitae scintillam cardiacis, veluti adfuso oleo animandam esse, facile patuit; quare pulveres ex uno grano Camphorae confici, decoctum Chinae saturatum cum tinctura Cinnamomi prioribus intercalari, atque duo vesicantia brachiis imponi jussimus. Urinam suppressam catheteris ope educere oportuit. — Die 9. crescentibus cunctis, quae systema sensiferum graviter obrutum, ejusque efficientiam veluti exhaustam indicabant, symptomatibus, versus creperum noctis placidam mortem occubuit.

NECROSCOPIA.

In cadavere, quod praedici poterat, nullam evidentem invenimus lethi causam. Cerebri et meningum vasa collapsa, sanguine vacua; membrana arachnoidea lymphatico latice hinc inde obducta; pulmones illaesi; in corde parum sanguinis atri et dissoluti; stomachus medicamentis indigestis repletus, e suo positu normali tantisper emotus; hepar voluminosum, pauco sanguine scatens, flavum, friabile; cystis fellea collapsa; intestina pluribus in locis rubicunda, sugillata, faecibus bilioso-mucosis oblinita; uterus virgineus, turgidulus; itidem ovaria.

EPICRISIS.

Procul dubio maleficum epidemiae aestivae ingenium non minus, quam circumstantiae quaedam particulares ad funestam febris biliosae diadochen, repentinum utpote virium lapsum contulerunt. Si cum Brunonis adseclis loqui liberet, *debilitas* illa *indirecta* nominari debuisset, quatenus efficientia vitalis sub ipso agone critico, ad finem cycli septenarii imminente, praeter morem sufflammata et postmodum exhausta succubuisse videtur. Antiqui debilitatem *malignam* appellans,

sent, quoniam morbo adhuc recente, sine causa manifesta, et improvise est suborta. Nos lubentius *paralyticam*, seu *colliquativam* nuncupavimus, eamque lethi sufficientem rationem fuisse arbitrabamur. Variarum passionum turmam, terrorem panicum, amorem infelicem, discordias domesticas, aegritudinem e nuptiis coactis, moerorem, atque continuum certamen inter libidinis illecebras et femineam modestiam, vires vitales insensibili modo subruisse, ecquis non perspiciet? Quid autem dicam de illis scenis, quae daemonomaniae fucum fecerunt? An vafritia, fraus, et impostura fuerit, quod femina se a diabolo obsessam fingebat, ut insulsae plebis adtentionem excitaret, vel a vinculis mariti detestati liberaretur, — *an vero* mentis alienatio, et phantasiae directio erronea, per uterinam labem fota, potius criminanda, quae feminam invito animo ad mysticas, et vesanas illas *actiones* impulit, decidere non audemus. In hypostromate, cui incumbebat aegra, post aliquot ab obitu dies *inventa* fuit reliquia S. Petri, quam occasione exorcismi adstantium oculis astute subduxit, atque indecoris, ut videbatur, locis occuluit. — Quae olim credula *gens* de pythonissis, magis, sagis, fascinatis, diabolo obsessis, et maleficiatis narrabat, hodierno aevo *vel ad* imposturas, sycophantias, et praestigia, vel ad imaginationis depravate lusus, et in feminis maxime ad proteiformis hysterismi personas reducenda esse, *certe* nemo sanae mentis dubitabit amplius. Credimus cum Sancto Athanasio, *ex quo tempore verbum Dei adparuit, hujusmodi spectra et ludibria cessavisse.*

FINIS.

41

11